PA 6685
.R5
Copy 1

PA 6685
.R5
Copy 1

6685
R5

DE

SENECA TRAGŒDIARVM AVCTORE

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM

ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE X MENSIS MAII ANNI MDCCCLXII

RITE INPETRANDORVM CAVSSA

SCRIPSIT

GVSTAVVS RICHTER

NVMBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CAROLVS DILTHEY SEM. PHIL. NUP. SOD. ORD.

HERMANNVS KLAPP STVD. PHIL.

EDVARDVS DOR STVD. PHIL.

NVMBVRGI

FORMIS HENRICI SIELING

1862

PA6685
.R5

FRIDERICO RITSCHELIO

PRÆCEPTORI

Senecae philosophi nomine quae uolgo feruntur tragoediae nouem, nam Octauiam alius auctoris esse constat, num ab illo re uera profectae sint, dubitauere multi: qui certis et ex arte petitis argumentis eas nullo modo ab illo scribi potuisse probauerit, neminem cognoui.

Quo factum est, ut in hac litterarum Romanarum parte usque ad hunc diem opinatio magis quam scientia uel ratio ualuerit. Etenim alii non consentaneum fuisse Senecae philosophi ingenio tragoediam scribere opinati, uel filium eius praematura morte extinctum, uel prorsus alium quendam Annaeum Senecam ab illis diuersum, qui sub Traiano uixerit, in poesi tragica nobilem, earum omnium commenti sunt auctorem, quod quam peruersum sit postea uidebimus. Alii uero, qui ab uno homine omnes illas tragoedias conscriptas esse negauerunt, argumentis potissimum usi sunt ex diuersa, quam agnoscere sibi uidebantur, singularum indole poetica petitis.[1]) Quali in re cum uix certa consensio effici queat, mirum non est, quod alias alii protulerunt opiniones. Sic, ut exemplum adferam, de Phoenissis tanta fuit inter uiros doctos iudici diuersitas, ut quam alii ad caelum tollebant laudibus fabulam, eam putidam et prauissimam haberent alii. Nam ‚longe excellentissimam' uocat Septimius Florens,[2]) Lipsius autem eo temeritatis progressus, ut ad Augusti aeuum eius auctorem referret ‚Vos critici' exclamat, ‚ponite et habete audacter inter prima Romana scripta'[3]) et ‚diuinum poema' uocat ad Senecam de prouid. 6. Contra Scaliger[4]) ‚totum scholasticum drama' adpellat Phoenissas et similiter Bernhardyus[5]) ‚eine völlig begriffslose studie.' — Alii deinceps uel prouocabant ad fabularum oeconomiam non prorsus eandem in omnibus, quasi Graecorum tragici tam seuere his in rebus sibi con-

---

1) Omnes hoc loco uirorum doctorum opiniones singillatim percensere et longum est et superuacaneum, nam hariolari plerique quam firmis rectisque argumentis uti maluerunt. Quod si quis plenius edoceri uolet, adeat Fabrici bibl. lat. II p. 130 sqq. (ed. Ernesti), G. I. Vossi institut. poet. II 12 § 11, Baehri hist. litt. Rom. p. 47 sqq., Bernhardyi hist. litt. Rom. p. 395 sqq. (edit. III). Porro in Schroederi editione Senecae tragici (Delphis 1728) Gronoui, Lipsi, Dn. Heinsi, Pontani, Delri, aliorum dissertationes de hac re conpositae sunt. Etiam in Scriueri harum tragoediarum editione (Lugd. Bat. 1621) multorum animaduersiones et commentationes inueniuntur. Herculem et Thyestam ab eodem poeta scriptas esse *Lessingius* (biblioth. theatr. opera ed. Lachm. IV) diuinauit magis quam demonstrauit, de quo tamen iniquius iudicat F. A. Wolfius (Vorles. üb. röm. litg. p. 133).

2) Apud Scriuerium p. 86.

3) ibd. p. 5.

4) ibd. p. 147.

5) hist. litt. Rom. p. 397.

stitissent, uel testimoniis Sidoni Terentianique, in quae postea incidet sermo, perperam intellectis codicumque in adscribendis Senecae praenominibus inconstantia commoti, diuersos poetas statuendos esse arbitrati sunt. Quam ob rem tragoediarum partem patri rhetori, philosopho partem uindicare uoluerunt non nulli.[1]) Neque uero defuere, qui tantam in omnibus his fabulis agnoscerent aequabilitatem, ut non posse eas non ab uno eodemque homine profectas esse contenderent. Sic Scaliger (epist. 114): ‚Ego illarum nouem unum genium atque ideo unum parentem agnosco.‘ Et Klotzschius[2]): ‚Dissimilitudo autem ista — mihi quidem tantopere aliena esse uidetur ab his X tragoediis, ut si uel singulae in membranis diuersis obuenerint, ausus essem omnes eidem auctori adsignare.‘ Modestius autem et consideratius Iacobsius[3]): ‚Es herrschet in allen diesen tragoedien eine gleichartigkeit der manier, welche uns verstattet, dieselben als das werk eines einzigen schriftstellers anzusehen.‘

At si re uera dispares essent singulae tragoediae uirtute poetica, inde minime a diuersis auctoribus concludere liceret eas profectas esse. Nam ab eodem homine alia aetate et alia animi condicione, quae uirtute ac natura prorsus diuersa sint inter se, procreari posse plerorumque et ueterum et recentiorum scriptorum poetarumque exemplo probatum est. Immo qui has ipsas tragoedias paulo adcuratius perlegerit, inter singulos singularum actus interdum magnam discrepantiam agnoscet. —

Tali autem peruersa argumentatione, quam merito iam reprehendit Welckerus,[4]) cum plerique in hac quaestione diiudicanda usi sint, nihil profecerunt et ‚adhuc sub iudice lis est.‘ Qua re commotus totam quaestionem uia ac ratione denuo instituere operae pretium duxi, quam fore ut primo conatu prorsus absoluam cum sperare minime ausim, tamen si rectam uiam ingressus esse et ad quaestionem diiudicandam non nihil contulisse iudicabor, satis habebo. Sed antequam ad rem ipsam accingar, pauca de Octauia praemonere uisum est.

Octauiam praetextam non a Seneca philosopho scribi potuisse licet dudum luculentissime demonstratum sit,[5]) tamen non nulla addam argumenta ex grammatico potissimum et metrico genere petita, quibus hanc fabulam omnino non eundem habuisse probetur auctorem cum ulla ceterarum nouem. Quod euidenter uel ex particularum usu in Octauia conspicuo euincitur. Ac pri-

---

[1]) cf. Dan. Heinsium apud Scriuer. p. 284.

[2]) de L. A. Seneca uno tragoediarum quae supersunt omnium auctore. Vitembergae 1802 p. 8.

[3]) Nachträge zu Sulzers allgem. theorie der schönen künste. IV p. 343.

[4]) tragoed. Graecae secundum cyclum epic. dispos. III p. 1446 sqq.

[5]) cf. Octau. pract. Curiatio Materno uindicat. ed. F. Ritterus. Bonnae 1843 p. 6 sqq., Vateri miscell. crit. fascic. V in Iahni annall. phil. IX. 1853 p. 588 sqq. At quod idem Ritterus magna cum confidentia Curiatio Materno Octauiam uindicat, in eo prorsus a uero aberrauit. Quam opinionem, quantum ego iudicare possum, felicissime refutavit Vaterus l. c. Argumentis enim quibus huius fabulae auctorem aequalem fuisse temporis Neroniani ille uoluit effici, ut hoc probetur tantum abest, ut contrarium euenat, non ita brevi temporis interuallo ab hoc aeuo sciunctum fuisse illum.

mum quidem maximi momenti est, quod particula *mox* nusquam, si recte obseruaui, in relicuis fabulis usurpata octies in Octauia legitur et quidem notione particulae ‚deinde' (u. 45. 165. 411. 420. 691. 843. 942. 961.[1]) Contra particula *at*, quae sexagies fere in ceteris nouem fabulis obuia est, in Octauia bis legitur, sed utroque loco uitiose. Nam u. 830:

At illa quae me ciuium subicit furor
Subiecta coniux

codices habent: ‚*Et* illa', quod satis aptum est. Altero autem uersu 459:

Nero: Decet timeri Caesarem. Sen: *At* plus diligi

peccatum est contra legem illam, ne in personarum mutatione synaloepha admitteretur, quam ob rem ‚at' delendum censeo. Item particulam, quae est *retro*, in omnibus fabulis excepta Octauia inueni. Leuius est quod coniunctionum *ut ne* copulatio et particula *confestim* nusquam in his tragoediis nisi singulis Octauiae locis reperiuntur. (873. 441.) Mentione uero deinde dignum est quod adiectiua in *ficus*, *fer*, terminata, quorum magnus numerus in ceteris nouem tragoediis extat, in Octauia prorsus desiderantur.[2])

Omnino autem in hac fabula desideramus exuberantem illam et saepe uitiosam relicuarum orationis abundantiam, dicendi enim genus in uniuersum magis concisum est et simplex, quod nescio an laudandum potius sit quam reprehendendum. Eadem modestia in prosodiacis conparet rebus metricisque, ubi cum fere easdem leges sequatur poeta, quas in Senecae fabulis obseruatas uidit, (cf. p. 16.) exceptis duntaxat, ut uidetur, anapaestis, multo tamen cautior est in licentiis admittendis. Sic, quod in illis tragoediis interdum factum est, ut iambicum uocabulum in senari fine positum uox antecederet epitriti primi mensuram habens uel adeo quinque syllabarum,[3]) numquam id sibi indulsit Octauiae auctor,

---

1) In numeris uersuum adscribendis constanter secutus sum editionem F. H. Bothi (Lipsiae 1819), quacum consentit poetarum scen. lat. uol. III, ab eodem edit., Senecae tragoedias continens (Halberstadii 1822) et editio Tauchnitziana anni 1835.

2) Castificus Phaedra*) 170, incestificus Phoen. 213, luctificus Phaed. 996. Herc. 10?. Oed. 3. 630. Phoen. 132. Med. 578, laetificus Troad. 600, magnificus Tro. 579, nidificus Med. 715, sacrificus Herc. 893. Agam. 166. 584. Med. 38, saxificus Herc. 902, superbificus Herc. 58, tabificus Oed. 79, terrificus Herc. 8?. Oed. 384, uolnificus Phaed. 347. — Armifer Phaed. 909. Med. 468, anguifer Herc. 812, coelifer Herc. 528, frondifer Oed. 276, florifer Oed. 647, flammifer Herc. 593. 982. Thyest. 856, gemmifer Med. 726, horrifer Phaed. 934, ignifer Phaed. 960. Med. 34. Herc. II. 1363, imbrifer Phaed. 1132. Oed. 315, letifer Herc. II. 209, monstrifer Herc. II. 1213, pestifer Herc. 526. 976. Phoen. 220, rorifer Phaed. 11, sceptrifer Med 59, solifer Herc. II. 159, spicifer Herc. II. 599, squamifer Med. 686, uelifer Thy. 129.

3) Tales exitus qualem: ‚Cleonaeum caput' (Herc. 798) habes his uersibus: Herc. 928. 1207. 1236. 1286. Thy. 68. 762. Phoen. 10. 231. 588. Phaed. 582. 903. Troad. 305. 367. Med. 477. Herc. II. 252. 1132. 1134. 1370. 1729. 1743. Tales uelut: ‚superbifica manu (Herc. 58) perraro: Phaed. 283. Agam. 217. Herc. II. 1451.

---

*) In titulis tragoediarum adferendis inscriptionem secutus sum codicis Florentini, qui neque furentem neque Oetaeum agnoscit Herculem, neque Hippolytum, sed duos Hercules simpliciter et pro Hippolyto Phaedram. Cf. Priscian. p. 253 K.

neque magis eam, qua in uocabulorum concursu longa uocalis cum insequente breui copularetur, admisit synaloepham. Simili etiam modestia omni duriore synizesis genere prorsus sese abstinuit. Quare nec cum L. Muellero (de re metrica p. 297), licentiae raro et apud nouissimos tantum poetas admissae, ut extremis uersibus synaphia non coalitis elisio locum haberet, bis in monometris anapaesticis locum concessisse credere possum poetam. Nam, ut recte omnino statuerit Muellerus, solis monometris dimetiendos esse in his fabulis anapaestos, quod saltem in Octauia uerum puto, tamen priore loco (u. 9):

Grauior namque his
Fortuna fuit

transponendo: ‚Namque his grauior' uitium tollitur, alterum autem u. 298:

Ne seruitium
Paterere graue aut (codd: et)
Improba ferret
Praemia uictrix
Dira libido.

a Bothio frustra sic temptatum: ‚graue N e c', grauiter interpolatum esse miror quod omnes editores fugit. Quid enim? Chorus Agrippinae caedem lacrimaturus, antea laudibus celebrat (u. 291—310) ueterum Romanorum uirtutem, quos tale facinus non inultum reliquisse regum expulsorum exemplo docet. At mirus in hac oratione ordo. Primum reges expulsos esse dicit chorus, deinde Virginiae caedem commemorat, tum redit ad regum depulsionem narratque Lucretiae stuprum et Tulliae facinus. Quid autem, quaeso, inter reges expulsos Virginia? Cuius commemorationem hoc loco ita intercedere ut sermonis nexus prorsus inepte diuellatur, quis est quin uideat? Sed accedit res non minoris momenti. Omni enim excusatione caret, si quid sentio, particula ‚quoque' u. 301 posita:

Te *quoque* bellum
Triste secutum est.

Lucretiam quoque triste bellum secutum esse ait chorus, at neque antea de ullo bello sermo fuit neque omnino Virginiae caede bellum est ortum. Cum uero neque probabiliter emendari neque in alium locum apte transferri possint ista uerba, ex interpolatione ea orta esse suspicari licet. Quae suspitio ad probabilitatem adducitur uitio isto metrico, quo inscius interpolator se prodidit. Eiciendi sunt, nisi ratiocinatio me fallit, uersus 297—301 et sic continuandus sermo:

Illi reges
Hac expulerunt
Vrbe superbos,
Vltique tuos
Sunt bene manes
Mactata tua
Miseranda manu
Nata Lucreti.

Fons autem interpolationis in propatulo est: quae expulimus

adscripsit quidam similis illius facinoris memor. Aliud talis licentiae exemplum, ut in extremo monometro dactylus conlocaretur (782):

Aut quid pectore
Portat anhelo

transponendo sustulerunt B. Schmidtius[1]) et L. Muellerus p. 106. Iam uero Octauiae anapaesti eo a relicuis tragoediis differunt, quod hiatus et syllaba anceps multo saepius in hac inueniuntur quam in illis. Nam hiatus in media sententia octies offendit (u. 16. 21. 205. 364. 376. 689. 901. 937.), syllaba anceps praeter eos locos ubi sententia finitur, decies sexies. (u. 26. 29. 61. 66. 92. 272. 307. 321. 657. 771. 779. 893. 903. 949. 970. 984.) Immo hiatum et syllabam ancipitem coniunxit u. 17. 337. 940. 981. Denique legem, ne anapaestum dactylus antecederet, bis migrauit praetextae auctor (648. 908.), quam licentiam cum solo Hercule altero communem habet. Si autem solis monometris anapaestos descripsit poeta, quod propter magnam licentiarum frequentiam uero propinquum haberi potest, non necesse est cum Lachmanno (ad Lucret. II. 1135. Cf. Schmidt. l. c. p. 30) particulam *modo*, ubique in his fabulis et septies in Octauia (37. 83. 167. 119. 205. 767. 895) posteriore syllaba correpta elatam, semel eam productam habere putemus u. 272.

Quae fama m o d o uenit ad aures

nam monometris constitutis in fine ponitur, ubi syllaba anceps locum habet.

Tantum discriminum, quae inter Octauiae et ceterarum artem intercedunt, proponere uolui, non nulla id genus alia, ubi in sequentibus occasio oblata erit, additurus.

Textus denique Octauiae recensio atque emendatio, ut hoc quoque in transcursu breuiter tangam, etiam hodie omni fundamento caret. Nam cum praeclari codicis Florentini auctoritate in hac fabula destituti simus nec de ceterorum librorum aetate et condicione satis edocti, uia ac ratione haec fabula satis corrupta non poterit emendari, antequam e non nullis codicibus melioris notae plena scripturae discrepantia uolgata erit, quam ob rem sine his nouis auxiliis nouam editionem parare perditam operam censeo. Paucis enim locis emendatio tam prompta et facilis est, ut etiam sine libris uerum restitui possit, uelut u. 138 sqq. ubi de Claudio Agrippinam Germanici fratris filiam in matrimonium ducente haec uerba facit nutrix:

qui nato suo
Praeferre potuit sanguinem alieno satam,
Genitamque fratris coniugem captus sibi
Toris nefandis flebili iunxit face.

in quibus emendandis frustra elaborauere editores. Tota autem offensio, quae in participio ‚captus‘ posita est et in duobus ablatiuis ‚toris nefandis‘ et ‚flebili face‘ idem fere significantibus, tollitur scribendo:

Dolis nefandis.

Claudius filiae fratris (i. e. Agrippinae) nefandis dolis captus

---

[1]) De emendandarum Sen. trag. rationibus metric. et prosod. Berol. 1860. p. 66.

eam in matrimonium ducit. Rem confirmat Suetonius (Claud. 26): ‚Verum *inlecebris Agrippinae,* Germanici fratris sui filiae, per ius osculi et blanditiarum occasiones *pellectus in amorem*'. Et similiter infra u. 149: ‚*captam* domum *Dolis* nouercae'. Item leni medicina sananda sunt uerba Senecae, (u. 574. 5) ne cum Poppaea nuptias iniret, Neronem dehortantis:

Vix sustinere posset hos thalamos dolor
Videre populi

duriuscula constructione inpedita. Scribendum

Fidesque populi.

Sic infra praefectus ab Octauiae caede abhorrens Neroni hoc ei obicienti respondet:

Cur meam damnas *fidem*?

His de Octauia praemissis transeo ad nouem priores tragoedias, quarum de auctore uel auctoribus si quaerimus, ante omnia, quid re uera de eis traditum sit, uidendum est.

Atque omnium, quos quidem nouimus, codex optimus Florentinus Mediceus hanc inscriptionem habet: MARCI LVCII ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAE N VIIII. HERCVLES. TROADES. PHOENISSAE. MEDEA. PHOEDRA. OEDIPVS. AGAMEMNON. THYESTES. HERCVLES. (Cf. Gronoui praefationem ad Sen. trag.) Tribuit igitur omnes excepta Octauia Senecae philosopho, nisi quod librari errore praenomine Marci abundat. Qua in re cum Florentino facere uidetur Lipsi codex, quem a Paulo Schedio Melisso poeta dono acceperat, nam ille in praefatione ad Raphelingium ‚siue Lucium' inquit, ei praenomen siue Marcum, nam *liber sane meus uno loco utrumque ambigue congerit.*'[1]) In omnibus ceteris codicibus, excepto Traiectino satis recenti, qui tantum Herculem furentem, Hippolytum, Octauiam conplectitur (cf. Schroederi praefationem), omnes decem tragoediae continentur, quae in plerisque *Lucio Annaeo Senecae*, in aliis, ut Commelino teste in uno Palatino, *Marco Annaeo Senecae*, in aliis simpliciter *Senecae*, in uno Palatino adeo *Lucio Publio Senecae* adscribuntur.[2]) Agnoscimus igitur in praenominibus adscribendis quandam differentiam, cui tamen, cum et parum diligentes constet fuisse in hoc genere librarios et Seneca rhetor cum philosopho facile confundi potuerit, non nimium tribui posse consentaneum est. In hoc autem omnes fere consentiunt, quod quendam *Annaeum Senecam* harum tragoediarum auctorem fuisse testantur. Neque uero neglegendum est, quod Welckerus (p. 1448) recte monuit: ‚Konnte die Octavia wegen der allgemeinen aehnlichkeit mit den tragoedien des Seneca verbunden werden (wenn nicht hierzu gerade der umstand, dass Seneca darin eine person ist, zum anlass gedient hat), so

---

[1]) Hoc inter ea numerandum est quae solus hic codex singularia ac propria cum Florentino communia habet, unde tamen, ne ab hoc libro eum descriptum esse praepropere cum Gronouio concludamus, cauendum est. Nam sunt quae repugnent.

[2]) In tribus bibliothecae Florentinae Laurentianae codicibus a Montefalconio commemoratis (plut. XXXVII. 7. 9. 10.) *Publio Annaeo Senecae* adsignantur.

kann dasselbe auch mit einem oder dem andern der übrigen stücke geschehen sein.'

Iam nobis testimonia ueterum examinaturis expendendum antea, si Seneca tantum, uel Annaeus Seneca, uel Seneca tragicus citatur, num de alio quodam poeta tragico Annaeo Seneca, a philosopho diuerso, cogitari possit: idque ad codicum quoque inscriptiones spectat. Annaeos autem Senecas nouimus tres, fortasse quattuor. Primum Marcum Annaeum Senecam rhetorem, deinde eius filium Lucium Annaeum Senecam philosophum, tertium huius filiolum prima aetate mortuum (Cf. Sen. dial. 12. 2. 5 [ad Helu.]), quod ei non reputauere, qui huic illas tragoedias adscribere uoluerunt, quarto denique loco *Marcum* quendam, quem ‚blandissimum puerum' et Heluiae nepotem Seneca uocat dial. XII. 18. 4 (ad Helu.) et epigramm. VIII. 5.:[1])

Sic dulci *Marcus,* qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos prouocet ore duos.

unde non absimile est uero, hunc Marcum philosophi filium fuisse, quod si uerum est, quartum habemus Annaeum Senecam. Patrem uero Marcum rhetorem quamquam qui non nullarum tragoediarum auctorem haberent, non defuere, ut Dn. Heinsius, qui Herculem, Thyestam, Oedipum, Agamemnonem ei adsignauit, tamen et toti istius, qualem ex controuersiis et suasoriis nouimus, indoli poesis repugnat et dicendi genus in tragoediis conspicuum toto caelo ab illius aetate alienum est. Poterit ergo praeter Senecam philosophum non nisi de filio eius Marco cogitari. At huic opinioni ante omnia hoc obstat, quod nihil prorsus de eo traditum est a ueteribus: qui si fuisset tragoediarum auctor, certe Quintilianum, ubi Senecae Medeam citat, hunc a philosopho discernere debuisse, recte monuit Welckerus p. 1450.[2]) Accedit quod ubique philosophum Quintilianus simpliciter Senecam adpellat. (Cf. X. 1. 125; 128; VIII. 5. 18; IX. 2. 28; XII. 10. 11.) Item Martialis (VI. 61. 7.) duos tantum Senecas nominat, nam quod IV. 40. 1. dicit:

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto
Et docti Senecae *ter* numeranda domus

ad tres fratres referendum esse adparet, Senecam philosophum, Gallionem, Melam, Lucani patrem. Neque Statius in genethliaco Lucani (silu. II. 7. 30.) Hispaniam adlocutus:

Lucanum potes imputare terris,
Hoc plus quam *Senecam* dedisse mundo
Aut dulcem generasse *Gallionem.*

nobilem poetam tragicum si nouit a philosopho diuersum, hunc reticuisse credi potest. Itaque a ueteribus si Seneca, uel Annaeus Seneca ut tragoediarum scriptor nominatur, alium intellegi non posse manifestum est, nisi Lucium Annaeum Senecam philosophum. Cui tamen unum obstare uidetur

---

[1]) Vsus sum editione Teubneriana ab Haasio egregie curata.

[2]) ‚Quintilian zumal würde ihn näher bezeichnet haben wegen der besonderen bedeutenden stellung, die er gegen den neuen stil und die nachahmer seines vielseitigen hochgestiegenen Spanischen landsmannes von jeher eingenommen hatte.'

Sidoni testimonium, qui carm. IX. 231 (p. 359 ed. Sirmond.) haec dixit:

Non quod Corduba praepotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum:
Quorum *unus* colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem:
Orchestram quatit *alter* Euripidis e. q. s.

At huic caueas, ne nimium tribuas auctoritatis, nam multifariam quidem sed leuem et parum subtilem eius fuisse doctrinam, scripta ostendunt. Hac autem in re Sidonium uero est simillimum deceptum fuisse loco Martialis perperam intellecto. Hic enim I. 61. 7:

Duosque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

aperte patrem rhetorem eiusque filium philosophum intellegit, nam si praeter hos tertium nouisset tragicum, eum hoc loco silentio non praeteriisset.[1]) Sidonius uero Senecam rhetorem ignorans de philosopho et alio quodam tragico Seneca locutum esse ratus est Martialem. — Primus de Seneca tragoediarum auctore disertum adtulit testimonium *Quintilianus*. Neque uero eius premam uerba VIII. 3. 31: ‚nam memini iuuenis admodum inter *Pomponium* et *Senecam* praefationibus esse tractatum, an

‚gradus eliminat'[2])

in tragoedia dici oportuisset', unde Senecam et Pomponium illo tempore tragoedias edidisse, ut Welckerus coniecit (p. 1447), quamquam uero simile est, non necessario consequi fatendum. Sed haud obscure loquitur Quintilianus IX. 2. 8: ‚ut *Medea* apud *Senecam:*

quas peti terras iubes?'

Leguntur haec uerba Med. 454. Quo testimonio si nihil aliud, id certe efficitur, hanc fabulam Senecam scripsisse philosophum Quintiliano persuasum fuisse. Quis uero temere audebit adfirmare, tam breui post Senecam tempore iam aliorum poetarum tragoedias sub eius nomine esse circumlatas? At si uerum esset — quod minime credi potest — Quintilianum tam prudentem litterarum existimatorem et Senecae per aliquod tempus aequalem, eo deceptum esse credibile erit? Quid uero? Si Medeam Senecam scripsisse, ut par est, Quintiliano credimus, eundem alias tragoedias Medeae et ad artem et ad indolem poeticam prorsus similes procreare potuisse cur negabimus? Deinde alio quoque loco ad Senecae tragoedias respexisse uidetur Quintilianus, X. 1. 129: ‚Tractauit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes eius et *poemata* et epistolae et dialogi feruntur.'[3])

Eiusdem ac Quintiliani auctoritatis testimonium diu a uiris doctis creditum est extare *Valeri Probi*, nobilis illius temporis

---

[1]) Cf. Nic. Antonius, Bibl. uet. Hispan. I. 9. Barth. ad Stat. Th. I. p. 251. Welcker p. 1450.

[2]) Cf. Ribbeck. trag. Roman rell p. 230.

[3]) Cf. Welcker. p. 1447 et Ribbeck. quaestt. scen. p. 348, qui de poematis et carminis uocabuli usu exposuerunt. Addi fortasse potest Aur. Victor epist. 16, ubi L. Annium Verum ‚*carminum*, maxime *tragicorum* studiosum fuisse' narrat. —

grammatici, Vergili interpretis, quam opinionem adparuit falsam esse, ex quo librum illum, quem ‚institutiones grammaticas' parum recte uolgo uocant, non ab uetere illo grammatico scriptum esse demonstratum est.[1]) Attamen minuitur quidem huius testimoni uis, non tollitur. Nam a Probo quodam grammatico, quem ante Priscianum fuisse certum est, ante Donatum probabile,[2]) ille liber scriptus est, cuius uerum titulum interisse, primum autem librum ‚instituta artium',[3]) alterum ‚ars catholica'[4]) inscriptum fuisse demonstrauit Osannus. Hic autem Probus in institutis artium bis Senecam nominat, primum p. 1393 P. (p. 47. 10. L.): ‚Nominatiuus singularis en syllaba terminatus, Graeci nominis est, et masculino siue feminino genere semper longa est; masculino ut Hymen, ut *Seneca in Hecuba:*

Quicumque hymen funestus inlaetabilis'

qui uersus re uera legitur Troad. 865. Deinde p. 75. 3. L. (1420 P.): ‚et *Seneca in Hecuba,* hendecasyllabo sapphico uersu:

Ilium est illic ubi fumus alte.'

quae uerba leguntur Troad. 1057. Neque uero neglegendum est, quod ‚Hecubam' Probus hanc fabulam nominat, non ‚Troadas', unde suspicari licet, illum anticum fuisse titulum, nisi forte errauit grammaticus Euripideae uel Attianae fabulae memor. Aliud deinde Oedipi fabulae testimonium extare apud Probum temere adfirmauit Delrius, qui ad Oed. 216[5]) haec dicit: ‚Probus agnoscit Oedipodis et Oedipodae, et *ait sic uti Senecam,* cum dicit: Oedipodae domus; ubi si legeretur: *datur* haut dubie de hoc loco: et sic etiam Probo teste, haec fabula Senecae'. Verba autem grammatici quae Delrius in mente habuit, secundum codicem Bobiensem (si Lindemanno fides habenda) sic leguntur p. 128. 49 L: ‚Graeca pus terminata tertiae sunt declinationis, dis facientia genetiuo, Melampus, Melampodis; Oedipus, Oedipodis: quamuis *„Hic domus Oedipodes"* lectum est.' Quae ad uersum Oedipi (216):

‚Ambigua soli noscere Oedipodae datur'

referre aperta est temeritas. Qua occasione data ualde suspecta mihi esse haec Probi uerba nolui tacere. Grammaticus enim Graeca uerba ‚pus' syllaba terminata tertiae docet esse declinationis et genetiuum facere in ‚dis'; deinde pergit aliquid additurus ad rem pertinens, nam utitur coniunctione ‚quamuis'. Nempe proferet aliquid quod ab praecepto illo recedit, adferet genetiuum quendam aliter formatum. Quid uero dicit? ‚Quamuis „Hic domus Oedipodes" lectum est'. At Oedipodes genetiuum aliquando a nominatiuo Oedipus factum esse putabimus? Quod si adfirmasset insanus fuisset Probus. Aliter locum exhibent Ascensius et Putschius (p. 1471):

---

1) Cf. Osann. beiträge z. griech. u. röm. literat. II p. 171 sqq.

2) Cf. Osann. l. c. p. 241 sqq.

3) Nam sic auctor ipse adpellat. Cf. II. p 143. 16 Lind. p. 1488 P. et p. 142. 12 L. p. 1487 P.

4) Codex enim uetustissimus Bobiensis hanc habet huius libri inscriptionem: 'Probi grammatici catholica,' in fine: 'ars Probi grammatici urbis explicit catholica.'

5) N. A. Delri syntagma tragoediae latinae. Antuerpiae 1593. Pars III. commentarium in Senecam continens p. 94.

‚quamuis domus Oedipod*ae* lectum est‘, quod Lindemannus docte ‚fortasse uerum‘ dicit, quamquam aliam rationem et ipsam prorsus inprobabilem proponit. At qua tandem ratione unquam a nominatiuo Oedipus formari potuit genetiuus Oedipodae? Quam formam a nominatiuo Oedipodes repetendam esse ipse docuit Probus p. 122. 42. (1463 P.): ‚Legi *hic Oedipodes, huius Oedipodae*‘. Constat autem ab Oedipus genetiuum fieri uel Oedipi uel Oedipodis et sic promiscue ueteres Romani re uera dixerunt, ut apud Graecos ab *Οἰδίπους* uel *Οἰδίποδος* uel *Οἰδίπου* formatum est.[1]) Vnde adparet, id tantum dicere potuisse grammaticum, a nominatiuo Oedipus etiam secunda declinatione genetiuum flecti Oedipi. Sed adquiescere ne in hoc quidem poterit, qui quam absurde grammaticus egisset si formam tam usitatam et notam tamquam raram et mirabilem protulisset hisce uerbis ‚quamuis hic domus Oedipi lectum est‘, secum reputauerit. Qua ex difficultate, nisi quid me fugit, non possumus nos expedire, nisi illa uerba ab interpolatore quodam, fortasse poetae cuiusdam locum respiciente, statuimus adscripta esse.[2]) — Verba autem Probi p. 122: ‚Legi hic Oedipodes, huius Oedipodae‘ ad Oedipi uersum modo memoratum referenda esse arbitratus est Welckerus. (p. 1447 not. 46.) Sed hae formae etiam alibi leguntur. (Oedipodes: Claudian. in Eutrop. I. 289. Stat. Th. I. 48; II. 465; genet. Oedipodae: Stat. Th. I. 163. I. 17. Senec. Herc. 496. Phoen. 89. datiuus Oedipodae: Oed. 216. Oedipodam: Oed. 1003. ablat. Oedipoda Oed. 943.) —

Iam uero *Terentianus Maurus*, quem Lachmannus (praef. p. 11—14) et Luc. Muellerus (de re metr. p. 55. 99.) Diocletiani aequalem fuisse probauerunt, priores nimis liberaliter Quintiliani aetati tribuerunt, duobus locis Senecam tragoediarum auctorem memorat, primum u. 2135 de tetrametro dactylico exponens:

In tragicis iunxere choris hunc saepe diserti
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.

Quem locum miror quod uarie interpretati sunt uiri docti, nam simpliciter hoc dicit, in tragicis choris saepe hoc metro usum esse Senecam et antea Pomponium. Quare aut errasse existimandus est Terentianus quod Senecam aetate posteriorem facit Pomponio, aut, quod maiorem habet probabilitatem, Pomponius, licet Senecae aequalis fuerit, ante hunc tragoedias edidit. Id uero mirum uideri potest, quod eos *saepe* hunc uersum iunxisse adfirmat Terentianus, quem apud Senecam tribus tantum modo locis inuenimus, Oed. 448—464. 472. Phaed. 761—3. Herc. II. 1946—1964, nisi forte in Phoenissarum choris deperditis eo usus est poeta. Quos locos si respexit Terentianus harum quoque fabularum eius habemus testimonium, quod tamen suapte natura ualde ambiguum esse unusquisque intellegit. Aperte uero loquitur, ubi glyconei uersus exempla profert u. 2672: ‚Exemplum et *Senecae* dabo:

---

[1]) Cf. Priscian. K. I, p. 172. 7. II, p. 445. 35. Voss. Aristarch. IV, 20 (p. 656 ed. Foertsch-Eckstein.) Schneider lat. gramm. II, p. 179. Reisig. vorlesg. ed. Haase. p. 112 not. 104.

[2]) Simile quid hodie nusquam extat, nisi quod apud Stat. Theb. I, 17 Oedipodae confusa domus‘ legitur. — Verba modo damnata aliunde fortasse inhunc locum inrepsisse putaueram, sed aptum locum apudProbum non inueni.

Thebis laeta dies adest,
Aram tangite supplices,
Pingues caedite uictimas.'

quos uersus legimus in Hercule 875—7.

His accedit *Prisciani* testimonium, qui p. 253 K: ‚*Seneca* in *Phaedra*:

Hippolyte me nunc compotem uoti facis.

In eadem:

Compote uoto

et est adonium'. Prior senarius legitur Phaed. 710, adonius Agam. 365, quare pro uerbis ‚in eadem' legendum est ‚in agam'. (sic Welckerus p. 1448 not. 47), nam aut Priscianum fefellit memoria, aut errauit librarius.

Deinde etiam *Lactantius*, Stati Thebaidis scholiasta, qui non magno post Seruium tempore scripsisse uisus est Schottkyo,[1]) ad Theb. IV. 530 (p. 145 ed. Tiliobrog. Paris. 1600) undecim glyconeos adfert ex Thyesta (u. 342—352): ‚Vt Seneca in Thyeste: Nescitis cupidi arcium' e. q. s. Nec tamen apud Lactantium inuenire potui, quod Welckerus (p. 1448) legerat, qui uersum dicit Herculis II. 1647: ‚ut pressit Oeten' adlatum esse ab illo ad Theb. IV. 158, ubi ad hunc Stati uersum:

Omnia frondosa longum deus audit ab Oeta

Lactantius adnotat haece (p. 126): ‚Omnia aut canunt omnia uastata monstris, id est, purgata: aut certe omnia audit Hercules in frondosa Oeta positus, quae uastata est monstris: in qua erat concrematus Hercules eo loco cui Prestion nomen est'. Illius autem Senecae uersus nulla fit memoria.

His testimoniis duo addo, a uiris doctis praetermissa, alterum *Diomedis*, ab Oehlero nuperrime ante Dositheum, id est ante tertium post Christum saeculum relati,[2]) qui p. 511. 23. K. (p. 511 P.): ‚Anapaesticum choricum habemus in *Seneca:* „Audax nimium qui freta primus",' uersus Medeae 301 (cf. Diom. p. 517. 30 K. 516 P.); *Tertulliani* alterum, qui de anima 42. p. 295 (ed. Haverc.): ‚Multo coactius Seneca: post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa'. et de resurrect. carn. 1. p. 32. ‚ait et Seneca omnia post mortem finiri', etiam ipsam. Aperte autem respexit uersum Troadum 401:

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Denique, ne quid omittam, Senecam tragicum memorat *Paulus Longobardus* in hist.miscell. VIII. p. 5 (Murat.): ‚huius (Neronis) temporibus poetae pollebant Romae Lucanus, Iuuenalis et Persius *Senecaque tragicus:* Musonius atque Plutarchus philosophi'. De quo loco uerissimum est quod Welckerus dicit p. 1456: ‚Hier ist über dem tragiker der philosoph vergessen, für ihre identität ein sprechendes zeugniss, da in diesem falle der philosoph nicht übergangen und ein zweiter, sonst unbekannter Seneca, gesetzt werden konnte'.

Disertis igitur ueterum testimoniis Senecae adsignari uidimus sex tragoedias: Medeam a Quintiliano et Diomede, Herculem a

---

[1]) Schottky, de pretio Lactantiani commentarii in Stat. Theb. Vratisl. 1846. p. 39.

[2]) Mus. Rhen. XVII, 1862. p. 56.

Terentiano Mauro, Troades a Probo et Tertulliano, Phaedram et Agamemnonem a Prisciano, Thyestam denique a Lactantio. Vnde, si id duntaxat, quod cum necessitate efficitur, spectamus, tertio post Christum seculo consectarium est Senecae philosophi quoddam tragoediarum corpus circumlatum esse, quo si nullae aliae, certe Hercules, Medea, Troades continerentur, Prisciani autem aeuo minimum sex notas fuisse Senecae tragoedias, praeter illas enim tres etiam Phaedram, Agamemnonem, Thyestam. Attamen caute circumspecteque agentibus casu fieri potuisse reputandum est, quod relicuarum trium nullum habemus ueterum testimonium. Iam uero uidendum, num ad tantam auctoritatem inpugnandam satis idoneae adferri possint rationes. Id enim agitur, ut Senecam tragoediarum fuisse auctorem aut nullo modo credi posse, aut nihil esse cur hoc negetur, conprobemus. Temere autem ei mihi facere uidentur, qui susque deque habita ueterum testimoniorum auctoritate soli obscuro cuidam sensui obsecuntur. Quaerendum igitur est, num uel in tragoediis ipsis aliquid inueniatur quod Senecam auctorem respuat, uel Senecae indoles atque ingenium huic poesis generi repugnet. Quorum neutrum est uerum, nam illas tragoedias eodem fere tempore, quo Senecam floruisse constat, conscriptas esse, dicendi genus manifesto docet, aetatem argenteam, quam parum bene uocare consueuimus, cum maxime redolens et Statio, Silio, Lucano adprime cognatum. Senecam uero non alienum fuisse a poesi et ipsius ostendunt epigrammata, non nulla Graecorum tragicorum specimina latine reddita, satura denique Menippea, in Claudi Caesaris mortem festiuissime conscripta, et constat ueterum testimoniis. Nam Plinius ep. V. 3. 5. Senecam inter eos numerat, quos ‚non seria modo uerum etiam lusus' expressisse dicit, Quintilianum non solum eius poemata sed diserte etiam Medeam tragoediam memorare modo uidimus, porro Tacitus an. XIV. 52 poetam fuisse Senecam testatur hisce: ‚Obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi asciscere et *carmina crebrius factitare*, postquam Neroni amor eorum uenisset', unde mirum quod quibusdam effici uisum est, Senecam nullas tragoedias scripsisse, carmina enim solum modo, non tragoedias memorare Tacitum. Verum et carminis uocabulo quoduis poesis genus significari potuisse scimus (Cf. p. 8 not. 3.) et consulto Tacitum sic locutum esse non sine caussa Welckerus putauit, cuius uerba hac de re p. 1449 haec sunt: ‚Die besondere gattung durfte hier gar nicht gesetzt werden, weil Nero nicht auch tragoedien machte, wol aber andere gedichte; und die eifersucht gegen den poeten sollte nach den bösen einflüsterungen den Seneca verderben, wie sie auch seinen neffen Lucan verfolgte'. (Cf. Tac. an. XV. 49. Cass. Dio. LXII. 29.) Seneca uero ipse si qui mirantur, quod tragoediarum nullam prorsus mentionem facit in libris philosophicis,[1]) neque orationes (Tac. an. XIII. 3. 11; XIV. 11; Cass. Dio. LXI. 3.), epigrammata, saturam ab eo commemorari reputandum erit. Neque absonum est quod Klotzschius (l. c. p. 11): ‚Nos quidem' inquit, minus etiam miramur, cum qui carminibus suis inuidiam principis contraxit, poetam sese non iactasse,

[1]) Cf. Bernhardy. l. c. p. 399. not. 322.

quam, uere ditissimum fuisse, qui pauperem se dicit.' Tantum autem abest, ut a Senecae indole alienae sint illae tragoediae, ut eius orationis ductus sermonisque ingenium totaque mens et cogitatio fideliter in illis expressa sint, ut easdem quibus pedestria scripta excellunt uirtutes, eadem quibus illa laborant uitia in tragoediis agnoscamus. Porro autem senariorum leges metricae et anapaestorum, qui in non nullis epistulis et in satura ocurrunt, non solum non repugnant tragoediarum trimetris et anapaestis, uerum in multis et singularibus rebus cum illis consentiunt. Senarios autem praebet Seneca in epist. lib. XVIII. 4. 11 et XIX. 6. 14, ubi Cleanthis quinque, duodecim Euripidis trimetros latino sermone reddit, deinde in ludo VII. 2. Quibus e uersibus primum unus eximendus est hic:

bene moritur quisquis moritur dum lucrum facit.

aperte corruptus propter spondeos in sedibus paribus admissos. Cuius emendationem non inueni probabiliorem ea quam Langius (quaestiones metricae. Bonn. 1851. p. 28) proposuit:

bene nempe moritur quisque dum lucrum facit

quamquam certam non putauerim. Hoc uno differentiae exemplo reiecto nihil in his uersibus repugnat arti in tragoediis conspicuae. Immo in subtilioribus quibusdam observantiis mira cernitur consensio, quae magis etiam adparebit, ubi de arte in tragoediarum trimetris adhibita exposuero. (Cf. p. 16 et p. 27 not.) Sic a paenultimo pede seuere exclusit iambum Seneca, caesuram adhibuit tricies semiquinariam, semel eam quae post secundam arsin fit:

Duc o parens celsique dominator poli

(ep. XVIII. 4. 11. 1.), semel etiam in primo pede proceleusmaticum admisit (lud. u. 11.):

Vbi Rhodanus ingens amne praerapido fluit.

Elisio conparet ter in prima et quarta, bis in quinta et secunda arsi, bis etiam in secunda, quarta, quinta thesi. Eadem deinde artis constantia cernitur in anapaestis, quos quo modo Seneca descripserit dubitari potest, nam singula tantum et quidem in extremis enuntiatis inueniuntur hiatus et syllabae ancipitis exempla (10. 24.), numquam in fine monometri posuit dactylum et, quod non parui momenti est, paroemiaco quoque uersu se abstinet.

Denique ne hoc quidem omittendum duxi, quod in his uersibus et in tragoediis non nullae locutiones inueniuntur prorsus inter se consimiles. Quales in anapaestis has habes:

lud. 1—5:	*Fundite fletus*	Troad. 131:	*fundite fletus*
	Edite planctus	Thy. 108:	*fundunt* oculi fletus
	Resonet tristi	Troad. 64:	*planctus date*
	Clamore forum.	- 131:	*Rhoetea sonent litora planctu.*
		- 65:	*Sonet* fatalis Ide.
52:	*Caedite moestis*	Tro. 64:	*ferite palmis pectora*
	Pectora palmis		
11:	Ille *citato*	Phoen. 393:	*cursu citato*
	Vincere *cursu*	Herc. 178:	properat *cursu* uita *citato*

Porro in senariis haec conpara:

ep. XVIII. 4. 11. 1: *celsi* dominator *poli.*

Herc. 129: signum *celsi* glaciale *poli.*
Phaed. 903: proh *gubernator poli.*
Illius epistulae uersu sequente dicitur:
nulla parendi *mora est*
Prorsus similiter Herc. 1171: *nulla* pugnandi *mora est.*
In ead. ep. u. 12:
Ararque *dubitans quo* suos cursus agat
Troad. 208: *dubia quo* caderet stetit
Thy. 724. 5: cumque *dubitasset diu* Hac parte an illa caderet
ibd. 697: nutauit aula *dubia quo* pondus daret.
Nat. quaest. VI. 9. 2: cum *diu dubitauerunt,* super ea quae supersunt stantque, componunt. ibd. 6. 1. 2: *dubieque* stant etiam quae relicta sunt.

Quae adhuc disputaui, eis effecisse mihi uideor, nullam prorsus caussam esse, cur Senecam tragoedias scripsisse negemus. Verum tamen in hoc ut non adquiescamus, non leues rationes praesto sunt, nam Seneca num omnium illarum nouem auctor sit, dubitari potest. Fieri enim potuisse, ut germanis eius tragoediis non nullae aliorum poetarum adiungerentur, et aliunde docemur, ueluti Plautinarum comoediarum, uel poesis Shakespearianae historia critica, et luculentissimo constat Octauiae exemplo. Neque etiam nimium similitudini tribui potest, quae inter omnes illas fabulas intercedit, nam studiose illius temporis iuuentutem Senecae scripta peruoluisse et eius rationem ac sermonem imitatam esse testatur Quintilianus X. 1. 126. (‚Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit'). Accedit quod ex illis tragoediis non nullae, uelut Hercules alter, Oedipus, Agamemno, tam inferiores sunt ceteris, harum ut uitia potius quam uirtutes repraesentare uideantur. (Quint. l. c. 127: ‚Sed placebat (scl. Seneca) propter sola uitia et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat'.)

Si uero scire hac de re quam opinari malumus, una tantum ratione, si quid sentio, certi aliquid effici potest: perquirendae et conparandae sunt ita inter se singulae fabulae, ut in rebus prosodiacis, metricis, grammaticis perspici possit num talia inueniantur discrimina, quae unius eiusdemque hominis esse non possint credi. Quam uiam unice sanae arti conuenientem ingressus, quae inde ad quaestionem controuersam eueniant diiudicandam, iam proponam.

Atque in genere prosodiaco prae ceteris multa singularia habent Oedipus, Agamemno, inprimis autem Hercules alter. Huc enim pertinet, quod iam Langius obseruauit, (l. c. p. 25.) *retro* uocabuli syllabam priorem, cum semper producatur in Hercule, Thyesta, Phoenissis, Medea, Troadibus, Phaedra, modo produci modo corripi in illis tribus fabulis.[1]) Quam singularum fabularum differentiam inter diuersorum fortasse auctorum uestigia numeranda esse censuit ille. Deinde nomen *Cyclas* quod Phaed.

---

[1]) *Retro*, ut paulo adcuratius Langio rem definiam, quattuor locis spondei uicem obtinet (Oed. 367. 574. Ag. 57?. Herc. II, 49), duobus primum occupat pedem, ut ambigua sit mensura (Oed. 555. 869), relicuis octo iambus est. (Herc. II, 1348. Oed. 364. 349. Agam. 34. 239. 486. 713. 757.)

1022 et Thy. 595 priorem productam habet, iambi uicem tenet Herc. alt. 804, alibi uero non inueni, et uocabulum quod est *fibra* in eadem fabula ultimum senari pedem occupat, (948. 1222. 1278) at in ceteris ubique inuenitur (Thy. 1065. Oed. 357. 377. 391. Agam. 798.), semper spondeum efficit. (Cf. Schmidt. l. c. p. 34.) Grauius est, quod contractae formae perfectorum *iit, petiit* et conpositorum (Cf. Lachm. ad Lucr. p. 208 sqq.), quas in senario saepe adhibitas a metris uero lyricis seuere exclusas esse in his tragoediis recte monuit Schmidtius p. 10, ter admissae sunt in anapaestis Herculis alt. 1860: ‚lux una perit', 1868: ‚plus luce perit', 1913: ‚nempe Alcides mortalis obit', et semel in glyconeo 1063: ‚Manes cum tacitos adit'. In eodem carmine, ut hoc statim moneam, alia licentia cernitur u. 1096: ‚Quattuor praecipitis deus' ubi quattuor bisyllabum est. Quale synizesis genus, omnino rarum in his tragoediis, numquam praeter hunc locum in metris lyricis admissum est. Porro commemorandum est, quod idem primus inuenit Schmidtius (p. 31), littera i finalis, cum semper corripiatur in uoculis mihi, tibi, sibi, nisi, ibi, ubi, ubicunque, ubinam, bis in Oedipo *tibique et mihique* (668. 766) media producta efferri. Minoris momenti est *Hebrus* priore longa positum Phoen. 607. Herc. alt. 628, breui eiusdem fabulae u. 19, nam alias non legitur, et *hydra* uocabulum, quod Med. 702 et septenis Herc. II locis (19. 285. 852. 919. 1195. 1293. 1360. 1651. 1929) priorem longam habet, uno huius fabulae loco (915) ea correpta elatum. Huc etiam referenda est Lachmanni obseruatio (ad Lucr. VI. 971), nomina propria *Phaedra, Electra, Oechalia* correptis uocalibus extremis proferri Agam. 916. Phaed. 435. 584. 1155. Herc. alt. 423, contra Graecorum more ultima producta *Megara* Herc. 203. 1009. Denique littera o in ablatiuo gerundi casu semper producitur duobus exceptis uersibus Troad. 268: ‚uincendo didici' et Herc. alt. 1863: ‚lugendo facias.' Quibus tamen exemplis non cum Schmidtio (p. 30) adnumerandum est quod Oed. 941 Groti coniectura in omnibus editionibus legitur: ‚Soluendo non es', nam correpti datiui gerundi nullum extat apud poetas latinos exemplum, (Cf. L. Mueller p. 339.) quare uerba illa Oedipi:

Soluenda non est illa, quae leges ratas
Natura in uno uertit Oedipoda, nouos
Commenta partus, supplicis eadem meis
Nouetur.

cum Schroedero sic intellegenda sunt: ‚naturam istam quae iam leges ratas in uno Oedipoda uertisset, non esse dissoluendam nec destruendam, sed seruandum esse iugiter institutae mutationis istius tenorem', nisi forte (nam artificiosa utique haec est interpretatio) facili mutatione scribendum erit:

Soluenda non est *uita*. Quae e. q. s.

quod sententiae loci aptissimum est.

Iam uero ad res metricas transitum faciens, singulorum pedum, caesurarum, elisionum qualis ratio sit et condicio in singulis singularum fabularum senariis, ut statim, quoad fieri possit, tamquam uno oculorum obtutu perspiciatur, hunc conspectum subiunxi.

Tituli tragoediarum.	Senariorum numerus	Pes II.	Pes IV.	Pes I. (praeter spondeos.)					Pes III. (praeter spondeos.)				Pes V. (praet. spond.)			Caesurae praeter semiquinariam.		
		tribrachorum numerus. Ceteris uersibus iambi.		Anapaestorum num.	Dactylorum num.	Iamborum numerus.	Tribrachorum num.	Proceleusmaticorum num.	Dactylorum num.	Iamb. num.	Anap. num.	Tribr. num.	Anapaestor. num.	Iamb. num.*)	Dactyl. num.**)	Semiquinaria in uerbo conposito.	Semiseptenaria cum ea, quae fit post Iiam arsin, coniuncta.	Semiseptenaria cum semiternaria coniuncta.
Hercul. alter.	1404	187	35	164	110	175	2(?)	1	168	178	3	11	328	2(?)	—	27	51	-
Hercules.	1042	120	58	176	89	137	—	—	130	130	1	14	219	—	1	12	21	—
Troades.	914	137	42	159	77	113	7	7	104	130	12	15	287	2(?)	—	13	43	—
Phaedra.	834	109	36	114	83	119	4	2	125	107	3	13	208	—	—	19	19	2
Thyestes.	763	82	40	111	64	93	1	1	101	103	2	14	145	1	—	15	37	—
Oedipus.	731	110	20	114	62	95	4	—	81	114	2	17	171	—	1	2	16	—
Agamemnon.	711	115	40	101	83	124	4	1	82	105	—	9	157	—	—	2	18	1
Medea.	688	89	40	105	69	106	9	2	117	103	4	14	93	2	2	10	31	—
Phoenissae	624	69	45	94	49	99	1	3	85	68	2	11	129	—	—	4	46	4
[Octauia	568	69	21	106	50	66	2	2	76	84	3	11	133	—	—	11	23	2]

*) Iamborum in quinta sede exempla haec sunt: Med. 513 ‚Sisyphi nepotibus‘ 700 ‚Promethei‘ Thy. 115 ‚Phoronides‘ Tro. 199 ‚Polyxena‘ 1084 ‚cacumine‘, Herc. alt. 805 ‚Capharides‘ 1200 ‚lucis *erui* moras‘ (Sic Flor; edd. *euici*). Quorum quattuor uersibus ueniam paratam esse adparet a nomine proprio, quinto Med. 513 ‚Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus‘ ab anthitheto, sexto autem fides non habenda, nam uerissima L. Muelleri emendatio ‚lucis *et rupi* moras‘. Vltimum denique exemplum Tro. 1084 ‚cuius e *cacumine*‘ aut ex glossa est ortum pro ‚cuius e *fastigio*‘, ut iam Langius (q. m. p. 24) suspicatus est, aut cum Schmidtio (p. 54) a uariandae orationis studio excusandum, nam paulo ante (u. 1073) scripserat poeta ‚cuius e *fastigio*‘.

**) His quattuor dactyli in quinto pede positi exemplis (Med. 266 ‚machinatrix facinorum‘ 268 ‚famae memoria est‘ Oed. 846 ‚anceps memoria‘ Herc. 408 ‚omnis memoria‘) fortasse quintum addendum est Medeae 472 ‚Phrixei arietis‘, nisi forte ‚arietis‘ trisyllabum est i uocali ad consonam depressa.

Tituli tragoediarum.	Elisiones.*) In arsi.					In thesi.				
	arsis V.	a. IV.	a. I.	a. II.	a. III.	thesis II.	th. IV.	th. V.	th. III.	th. I.
Hercul. alter.	120	131	68	17	2	40	41	7	14	1
Hercules.	138	88	37	13	1	26	26	7	10	3
Troades.	117	69	38	13	1	24	20	7	7	4
Phaedra.	102	82	44	9	1	24	14	8	16	1
Thyestes.	93	66	27	9	—	34	23	6	3	—
Oedipus.	70	75	34	8	—	21	14	6	3	—
Agamemnon.	58	65	26	7	2	27	14	9	11	—
Medea.	75	59	39	12	1	27	19	3	11	2
Phoenissae.	73	66	44	13	3	25	22	4	7	5
[Octauia.	41	30	29	7	1	14	3	13	3	—]

Hunc conspectum qui perlustrauerit, easdem leges in omnibus fabulis obseruatas esse concedet. Nam minuta nemo premet, ueluti quod tribrachus in quarto pede in Oedipo et Herc. alt. rarior est quam in ceteris, uel dactylus in quinto in solis Herc. Oed. Med. inuenitur, iambus in Herc. II, Troad., Thy., Med., et quae sunt similia, nam Aeschyli uel Euripidi aliorumue tragoedias si quis simili modo inter se conponere uelit, similes inueniet differentias. Attamen ne nimium huic aequabilitati tribuatur cauendum est, unde si quis effici putabit omnes unius auctoris esse tragoedias, is ne Octauiam quidem debebit excipere. Etenim recentiores poetas tragicos in senariis condendis eandem artis normam secutos esse, omnes probabilitatis habet numeros, cui qui repugnare uidetur obseruationi senarius a Lactantio ad Stat. Theb. X. 836 Pomponio Secundo adtributus ‚*tum prae se portant ascendibilem semitam*', hunc a poeta quodam multo antiquiore profectum esse, rectissime nuper statuerunt.[1]) Itaque sana ratione id tantum concludere licebit, opinionem de diuersis poetis ab hac parte non adiuuari. Sed ne hoc quidem, nam tota senariorum ars isto conspectu non dignoscitur. Obseruauit enim poeta in disponendis singulis intra uersuum circuitus uocabulis et in exaequando cum numerorum rationibus accentu grammatico subtiliores quasdam leges. De quibus cum iam ex parte Langius in quaestionibus metricis, interdum etiam in re metrica Muellerus, plenius autem, cuius in hac re laudanda est diligentia et prudens iudicium, Schmidtius in dissertatione saepius commemorata exposuerint, ego ea tantum protulisse satis habebo, quae suspitionem de diuersis harum tragoediarum auctoribus confirmare uiderentur. In uniuer-

*) Excipiuntur suapte natura quae cum ‚est' uel ‚es' fiunt exempla.

1) Cf. Bentleium ad Horat. ep. ad Pis. 260. Luc. Mueller. de re met. p. 93. Lang. quaest. met. p. 36. B. Schmidt. Mus. Rhen. XVI. 1861 p. 587.

sum autem harum quoque obseruantiarum magnam monendum est cerni constantiam, a qua quae recedunt maximam partem in Hercule altero reperiuntur. Nam primum in hac fabula a lege, praeterea duobus tantum Phoenissarum uersibus uiolata, ne in trimetrorum exitu uoci quadrisyllabae praecederet iambica, sexiens recessit poeta (805. 1274. 1381. 1486. 1651.), quorum tamen fatendum est quinque exemplis ueniam fortasse paratam esse a nomine proprio. Item in sola hac fabula contra illud praeceptum peccatum esse uidemus, ne anapaestus in quinta sede binis uocabulis constaret nisi synaloepha coalitis, u. 407 enim legimus: ‚quae uiro caret Hercule', 758: ‚Nunc uidua, nunc expulsa, nunc feror obruta', 1848: ‚Quidquid negaret Iupiter daret Hercules', nisi forte haec quoque licentia uel nomine proprio uel oratione grauiter concitata excusatur. Semel etiam, ut hoc per occasionem moneam, Octauiae auctor, hoc admisit u. 395: ‚qui premat genus impium.'[1]) — Deinde non nulla huc referenda sunt, quae in Oedipo inueniuntur a communi ceterarum consuetudine diuersa. Vbi illud praeceptum ne dactyli initio senari positi arsis in duas uoces diuideretur (cf. Schmidt. p. 48), uiolatum est u. 263: ‚quidquid ego fugi', quod exemplum id quoque singulare habet, quod trochaica uox in trimetri initium admissa est, quae licentia alibi in his tragoediis non reperitur. Simile est quod non nisi uno Oedipi loco tribrachi tertio pede positi arsis incisione uocabuli fine facta dirimitur[2]) 765: ‚Superi inferique séd animus contra innocens'. Deinde singulis tantum Herculis alt. et Oedipi uersibus quarti pedis soluta arsis e duobus monosyllabis constat uocabulis. Herc. II. 1442: ‚Quid hoc? quis axem cludit ét ab ipsis pater Deducit astris'? Oed. 330: ‚Quidnam loquar? Sund dira séd in alto mala'. Porro accentum paulo insolentiorem quater habes in eadem fabula. Vocabulis enim proceleusmatici uel paeonis quarti mensura conprehensis si in senario uti uoluit poeta, plerumque tertio a fine loco conlocauit, ut in prima et ultima syllaba accentum haberent, sequentibus tantum non semper duabus uocibus eadem oxytonesi elatis. (cf. Schmidt. p. 41.)[3]) Praeterea eodem accentu praedita quater posuit in trimetri exitu (Herc. 408. Med. 266.

---

[1]) Videntur illi praecepto tredecim alia exempla repugnare. Sed Phoen. 354. Oed. 969. Herc. II. 247. Med. 126. 886, ubi ‚satis est,' Tro. 43, ‚uetus est,' Herc. II. 482 ‚scelus est.' Thy. 1089 ‚mala sit,' in quinto pede leguntur, his locis ‚est' et ‚sit' cum uoce antecedente enclisi quadam coalescunt; porro Herc. 1147. Phaed. 838. Oed. 924. Med. 906. Herc. II. 1347, ubi ‚nescio quid' illa sede legitur, in hac phrasi consuetudine sermonis trita tam arcte coniunctum est utrumque uocabulum, ut pro uno uerbo accipiendum sit neque igitur necesse est, cum Schmidtio (p. 53) de synizesi cogitemus.

[2]) Monendum tamen est, similem senarium fecisse Senecam ep. XIX, 6. 14 ‚Non quare et unde, quíd habeas, tantum rogant.'

[3]) Quattuor tantum locis ab hac consuetudine recessit: Tro 199: ‚cíneribús Polyxena'. Phaed. 1083: ‚sónipedés mente éxciti'. Herc. alt. 1757. 1824 ‚róliquiás magni Hérculis'. Praeterea in Octauia 102. 444. 632. Nam Thy. 641. Agam. 115. Tro. 761 ubi ‚est' cum antecedente uoce coniunctum est, huc non refero.

268. Oed. 846.). Aliis autem senari locis praeter unum Medeae exemplum (557: Memória nostri sedeat) talia uocabula quattuor Oedipi uersibus admisit:

240: Functi cinéribus regis hoc decuit dari
767: Redit memória tenue per uestigium
936: Poenas sceléribus soluis atque uno omnia
817: Memória longo lassa sublabens situ.

Sequitur ut non nulla adferam, quae et ad elisionem, uel potius synaloepham, et ad synizesin spectant. Cum autem, ut ex conspectu supra proposito adparet, plurima uocalium in extremis uocabulis concursus exempla in prima, quarta, quinta arsi,[1]) longe pauciora in secunda, rarissima autem in tertia reperiantur,[2]) his locis posterioribus id etiam cauit poeta, ne uocem monosyllabam longa uocali terminatam cum insequente uocabulo a uocali incipiente coniungeret, a qua tamen lege tribus Agamemnonis et Herculis alt. uersibus recessit: in secunda arsi Agam. 142: ‚quocunque mé ira‘, in tertia adeo 785: ‚Credis uidere té Ilium‘,[3]) Herc. alt. 544: ‚Timende matri té aliger saeuae puer‘. Sic enim cum Florentino legendum est, quamquam in omnibus editionibus *teliger* exhibetur, quod adiectiuum apud nullum scriptorem inuenitur. (cf. Verg. Aen. I. 633: ‚Ergo his *aligerum* dictis adfatur *Amorem*‘.) Denique singulare exemplum extat Herc. alt. 1386: ‚Non ipse si in me.‘

Deinde memorabile est, illius licentiae, quam Lachmannus ad Lucr. p. 160 soli Senecae propriam esse docuit, ut uocabulum in duas longas uocales desinens alterum sequeretur a uocali incipiens, pleraque exempla in Oedipo, Agamemnone, Hercule altero reperiri: Herc. II. 717: ‚tabe Nessea illita‘, Oed. 288: ‚sorte Phoebea excitus‘, 305: ‚turis Eoi exstrue‘, Agam. 910: ‚Elea inclitus‘ (scl. palma.). Praeterea semel tantum in Medea 472: ‚spolia Phrixei arietis‘. Nam quod Phaed. 148: ‚Lethaeo abditum‘ diphthongo longa uocalis subiecta cum sequente uocali coniuncta est, hoc genus iam Vergilium et alios admisisse idem monuit Lachmannus p. 163. Contra mirum est, quod illius synaloephae, qua uocabula in longam uocalem exeuntia cum insequente breui uocali coalescunt, quod genus in omnibus ceteris fabulis, exceptis

---

1) Itaque non satis adcurate Schmidtius p. 18, in prima tantum et quinta arsi saepe fieri, aliis locis raram esse dixit synaloepham. Multo enim frequentior in quarta arsi est quam in prima.

2) Exempla in tertia arsi haec inueni: Herc. 1267. Phoen. 102. 305. Phaed. 1085. Troad. 575. Med. 546. Agam. 785. 206. Herc. II, 544. Oct. 566; in secunda haec: Herc. 85. 351. 407. 410. 503. 663. 763. 1014. 1153. 1239. 1298. Thy. 65. 95. 455. 496. 675. 722. 1055. 1056. 1075. Phoen. 33. 89. 100. 142. 157. 163. 165. 220. 291. 294. 299. 402. 563. Oed. 288. 342. 399. 638. 693. 788. 852. 868. Phaed. 461. 473. 600. 630. 852. 913. 1039. 1254. 1279. Troad. 217. 353. 355. 420. 560. 584. 617. 790. 867. 943. 968. 1137. 1175. Med. 22. 40. 51. 429. 701. 909. 920. 921. 936. 956. 964. 983. Agam. 142. 185. 192. 263. 419. 528. 546. Herc. alt. 328. 568. 734. 769. 774. 824. 975. 994. 1021. 1234. 1386. 1393. 1446. 1451. 1618. 1661. 1688. 1766. Oct. 133. 445. 640. 757. 805. 845.

3) Hic versus: ‚Agam: Credis uidere te Ilium? Cass: Et Priamum simul‘ corruptus est uitiosa synaloepha in personarum mutatione facta. Quare ‚et‘ delendum censeo. Vnicum quod praeterea extat Octauiae exemplum sustuli p. 3. Phoen. u. 651 bene emendauit Schmidtius p. 20.

tamen metris lyricis, aliquotiens admissum est, unicum exemplum inuenitur in Hercule II, et quidem in dactylico tetrametro 1958: ‚certe ego te uidi flagrantibus'. Porro longarum uocalium cum longis synaloepha copulatarum in metris lyricis (ubi omnino elisio multo rarius fit quam in senario) plurima exempla item in illis tribus fabulis sunt obuia, et quidem in anapaesticis haec: Herc. II. 1888: ‚Magno Alciden poscite gemitu', quem uersum alia etiam re memorabilem esse mox uidebimus; Oed. 739: ‚Vna aetatem' 993: ‚Multi ad fatum', Agam. 682: ‚pelago audaces'; in glyconeis Oed. 885: ‚Spiritu antennae tremant', Herc. II. 1046: ‚Aut si quae aera peruolat', in sapphico Herc. II, 1548: ‚Feminae exertos feriant lacertos', Agam. 600: ‚Hostica aut muros populante flamma', ubi Bothius edidit: ‚Hostica muros'; in sapphico dimidiato Oed. 736: ‚Hostico experti.' Deinde *cum* monosyllabum hanc elisionem bis patitur in Agam., 98: ‚Et cum in pastus armenta uagos' et 616: ‚Aut cum ipse Pelides'. —

Praeter haec pauca tantum in ceteris fabulis reperiuntur: Thy. 802 ‚quid te aetherio', 342 ‚cupidi arcium', 350 ‚ambitio impotens', Med. 355 ‚quid cum Ausonium', Troad. 857 ‚Troiae atque Achiuis.'

Denique pronominis *qui* nolui praetermittere datiuum semper monosyllabum esse in his tragoediis uno Agamemnonis uersu excepto 146 ‚cui ultima est fortuna', in eademque sola fabula u. 250 *suapte* (‚animum suapte natura trucem') bisyllabum efferri, uocali u ad consonantem depressa. Simile est quod particulam *proinde,* distractis constanter uocalibus dictum, Florentinus bisyllabum profert Thy. 201: ‚proinde antequam', ubi editiones ‚proin', quod nescio an uerum sit.[1]) —

Septenarios deinde trochaicos cum propter nimiam eorum paucitatem in ius uocare non attineat, transibo ad metra lyrica, ubi pauca de ea fabula in qua carmina desunt, de Phoenissis praemonuero, de quibus nuper Bernhardyus in hist. litt. Rom. ed. III. p. 400 sic statuit: ‚*Sicher* scheint nur eins: der redekünstler der zusammengeklitterten Phoenissae (sonst Thebais, doch passt keiner von beiden titeln) *steht ausser berührung mit den übrigen tragoedien*; er weiss weder von ihrem schema, noch hat er einen begriff vom drama.' Cui ingeniosissimi uiri iudicio libenter subscriberem, si fabula qualem nunc legimus, quasi unum et integrum opus a poetae manu profecta esse credi posset. Sed hoc uix ac ne uix quidem mihi persuadeo. Nam primum inter singulos actus et in fine fabulae tam multa desiderantur, totius deinde fabulae argumentum tam peruersum est, tota actio tam male cohaeret, ut ne peruersissimi quidem iudici homo actionem sic continuare et finire potuerit. Sed paulo adcuratius rem inspiciamus. Videmus in primo et secundo actu Oedipum oculis priuatum omnibus miseriis obrutum sola Antigona et duce et comite circa Cithaeronis saltus errantem. Mortem sibi uolt consciscere, a filia deterretur. Accedit interea nuntius a Thebanis missus, qui eum exorat, ut filiorum discordias et inminens bellum reditu suo conponat. At

---

[1]) Relicua huius synizesis exempla haec sunt: Agam. 441 (anteire), Trod. 195 (manibus meis debitos), 345 (Atrei et Thyestae).

recusat ille, diras filiis inprecatur, in siluarum latebras se abdit. Quid uero deinde? Transferimur subito ex illa solitudine in fraterni belli discidium et turbam, cernimus Iocastam infestis fratribus mediam sese opponentem, fratrum discordiam incassum conciliare studentem. Priusquam ad finem quendam actio peruenit, fabula in medio fratrum infestorum iurgio finitur. Oedipi eiusque sortis ne mentio quidem ulla in hac parte. Antigonam quae numquam infelicem patrem se deserturam esse grauissime professa erat (cf. u. 51. 59 sqq.) actu tertio et quarto uidemus ante Thebas apud matrem Iocastam, miseri patris prorsus oblitam. Porro diras secundo actu Oedipus inprecatus erat filiis, quibus, si unam fabulam putamus esse Phoenissas, totius tragoediae quasi cardo contineatur necesse est, at quorsum spectent non perspicitur, nam in sequentibus nulla earum memoria. Agnoscimus igitur in Phoenissis duo diuersa argumenta, quorum alterum ad ultimi Oedipi fata, ad Polynicis Eteoclisque discidium spectat alterum, neutrum tamen ad iustum finem perducitur. Quae omnia ita conparata sunt, Phoenissas ut nullo modo credi possit integram fabulam esse. Quare aut ualde mutilatam et in formam pristinae prorsus absimilem saeculorum iniuria redactam esse statuendum erit hanc tragoediam, aut omnino non a poeta absolutam sed incohatum tantum et inperfectum opus nobis relictum esse. Et commendare uidetur hanc sententiam ipsa Phoenissarum inscriptio, quae nisi ad chorum quendam referatur prorsus inepta est, unde carmina conligere licet aut conposita interisse aut praepedita esse conponenda. Nisi forte statues uetere titulo deperdito propter quandam horum fragmentorum cum Euripidis Attiue Phoenissis speciem similitudinis hanc nouam eis inpositam esse inscriptionem, quod quamquam uerisimile non est, fieri tamen fortasse potuit. Id uero intellegitur, praepropere eos iudicasse, qui poetae crimini uerterunt, quod carminibus hanc fabulam carere uoluisset.[1]) Sed in hoc non subsistendum: neque enim qua tandem ratione poeta illa diuersa argumenta coniunxerit uel coniungere uoluerit, possum mihi informare neque apud alium poetam simile quid memini. Aliam esse actionem constat in Aeschyli septem, Sophoclis Oedipo Coloneo, Phoenissis Euripidis, Atti autem Phoenissas fabulae Euripideae consimiles fuisse, licet ex fragmentis suspicari.[2]) Neque in Thebaide Stati, quem Senecam ante oculos habuisse et respexisse mihi pro comperto est, similis rerum nexus agnoscitur. Itaque Phoenissas suspicor non unius fabulae esse reliquias, sed duarum male conglutinatas partes.[3]) Quae suspitio inde etiam augetur,

---

[1]) Attamen tacere nolo quod O. Ribbeckius, qui codicem Florentinum in suum usum excussit, liberaliter me docuit, in hoc libro nullum lacunarum uestigium in Phoenissis deprehendi, nisi quod u. 410 deest, ubi in margine rubro liquore adpictum est R. Nec in fine fabulae habentur uerba quae in editionibus leguntur omnibus: ‚Deest et magna pars huius tragoediae intercidit', sed haec: PHOENISSARVM TRAGOEDIA FINIT INCIPIT MEDEA.

[2]) Cf. Welcker. trag. Gr. p. 1342. Ribbeck. quaest. scen. p. 338—340.

[3]) Eandem sententiam proposuit Schmidtius in thesi dissertationi suae adiecta: ‚Phoenissarum Senecae reliquiae non unius, sed duarum fabularum partes sunt.'

quod in senariis condendis inconstantia quaedam cernitur inter priorem et posteriorem fabulae partem, (si actum I et II u. 1—362 et act. III—IV u. 363—664 has partes statuimus.) In priore enim parte primum senari pedem praeter spondeum saepissime occupat iambus (63), rarius anapaestus ponitur (31), in altera parte anapaestus multo frequentior est iambo (63 : 36). Idem pes in priore parte ter habet proceleusmaticum (u. 44. 221. 352), in altera numquam, tertium pedem praeter spondeum in priore parte prae ceteris tenet dactylus (56), in posteriore paulo frequentior est iambus (32 : 29). Denique caesura semiquinaria in priore parte saepius uiolatur quam in altera (33 : 21) et synaloepha quoque multo magis frequentatur (158 : 91). In priore parte ter fit in tertia arsi (u. 102. 290. 305), in altera numquam hoc loco. Porro cum in extremos senarios rarissime in his tragoediis uocabula plus quam quattuor syllabarum admissa sint, hoc ter factum esse commemorandum est in priore parte (u. 223. 133. 165.), numquam in altera. Denique iam supra monui, duobus prioris partis uersibus illam legem uiolatam esse, ne in trimetri exitu quadrisyllabae uoci praecederet iambica (u. 191. 206.). Itaque maiore cum seueritate ex eis quae attuli intellegitur senarios conpositos esse in posteriore parte, quam in priore. Vnde fortasse Phoenissarum partes consequitur diuerso tempore scriptas esse. Nomen denique Phoenissarum ad solam alteram partem censeo referendam, quae reliquiae uidentur esse fabulae cuiusdam Euripideae tragoediae similis. Prioris autem fabulae, cuius argumentum fortasse ex Sophoclis Oedipo Coloneo sumptum erat, nomen interiit.

Opinionem meam de pristina Phoenissarum condicione, quam minime me fugit difficultatibus suis premi, indicasse potius et adumbrasse quam plene demontrasse pro huius dissertationis instituto satis habui; utut enim re uera res se habuit, id nisi fallor hac disputatione effeci, ex arte dramatica, quae in his reliquiis cernitur, uel potius non cernitur, concludi non posse, eas ab alio poeta atque ceteras conscriptas esse. Neque uero dicendi genere neque rationibus metricis adiuuatur talis opinio, immo permulta uidebimus postea in Phoenissis reperiri quae ipsius Senecae ingenium et dictionem cum maxime redoleant.

Phoenissis derelictis ad uiam redeo. In conponendis igitur canticis statim monendum est insignes esse prae ceteris fabulis Oedipum et Agamemnonem. Cum enim eum fere consuetudinem, utique molestam, tenuisset Seneca, ut chori carmina e continuatis plerumque eiusdem generis uersibus conponeret, sapphicis potissimum et asclepiadeis glyconeisque synaphia non coalitis et adeo supplementis suis interdum carentibus — nam sapphicos aliquotiens sine adonio (Herc. 830—874. Phaed. 275—325), sine pherecrateo glyconeos (Herc. 875—894. Thy. 336—403. Med. 75—92. Herc. II. 1032—1131) iugauit — in quattuor Oedipi et Agamemnonis carminibus (Oed. 403—506. 707—736. Agam. 587—633. 799—858.) prorsus aliam agnoscimus rationem. Haec enim a poeta ut ad Graecorum exemplar adsurgeret infeliciter laborante e liberioribus quibusdam metris conposita sunt singulari quodam modo inter se coniunctis et multis uersibus inmixtis quos

ceterae fabulae ignorant.[1]) Cui rei per se non multum tribui posse uidetur. Nonne enim uaria conatus esse credi potest poeta, nonne quod ante ei placuerat, postea potuit inprobare et cum in imitandis Graecorum metris lyricis frustra et infeliciter operam se posuisse intellexisset ad simpliciorem rationem redire? Attamen cum etiam aliis in rebus Oedipum et Agamemnonem a ceteris diuersam rationem sequi uideamus, ne hoc quidem erit neglegendum.[2])

Iam uero anapaestos, utrum dimetris, inmixtis non numquam monometris, an solis monometris descripserit poeta, dubium est. L. Muelleri enim sententia (p. 106), solos monometros statuendos esse praecipientis, quamuis unde commendetur multa habeat, tamen non ita conparata est, ut nullus scrupulus relinquatur.[3]) Sed hac quaestione, cum non ad propositum spectet, in praesens missa facta, in omnibus fabulis easdem leges in anapaestis condendis obseruatas esse uidemus,[4]) nisi quod in solo Hercule altero aliquotiens a ceterarum seueritate recessum est. Quattuor enim locis dactylus antecedit anapaestum, 185: ‚fingite superi‘, 196: ‚Cypria lacrimas‘ (sic Flor.), 1884: ‚Arcades obitus‘, 1888: ‚poscite gemitu‘, et ter in anapaestum tria uocabula admissa sunt, 173: ‚At ego infelix‘, 186: ‚Vel in Eridani‘, 191: ‚Vel in Edonas‘, quod praeterea duobus Thyestae uersibus factum est (827: ‚sed quidquid id est‘, 965 ‚iam quidquid id est‘) nam Herc. 1089 recte scripsit Bothius Withofio auctore (praemet. cruc. crit. p. 96) ‚*uelut* ingenti‘ pro ‚sed ut‘ quod ferri nequit.

Porro in omnibus fabulis magnus extat asclepiadeorum uersuum numerus, in quibus tam firmam cernimus constantiam, ab Horatiano exemplo ut duobus tantum uersibus declinatum sit, quorum alter Oedipo legitur 713: ‚Vt primum magni natus Agenoris‘, in Agamemnone alter 589: ‚Effugium et miseros libera mors uocet‘ nisi hic, quod Schmidtius coniecit p. 69, ‚effugium‘ tribus syllabis pronuntiandum est.

Non eadem constantia in sapphicis cernitur, quorum latissime patet usus in his tragoediis. Sed etiam in his pro tanto uersuum numero raro Horatianam normam neglexit poeta. Anapaestum autem pro spondeo admisit Phaed. 287. 289. Oed. 412. 476. Agam. 825, quibus tamen omnibus uenia est parata a nomine proprio. Hac excusatione caret unus Medeae uersus 637 ‚Sumere innumeras solitum figuras.‘ Altera deinde usus licentia dactylum in spondeum contraxit hisce uersibus: Phaed. 288. Troad. 828.

---

[1]) Horum carminum rationem a plerisque perperam intellectam eam fuisse puto, ut in copulandis longioribus uersibus cum breuioribus, inprimis dimidiatis cum eiusdem generis integris artificium quoddam posuerit poeta. Luc. Muelleri opinioni (p. 122), solos breves admittendos esse uersus, simplicitate licet commendetur, tamen sunt quae repugnent. Quode alio loco fusius exponam, ubi codicis Florentini scripturae discrepantiam nactus ero.

[2]) Bernhardy. p. 400: ‚Selbst die verschiedenen experimente mit allen möglichen versmassen der lyrik deuten auf mancherlei Hände.‘

[3]) Cf. Schmidt. p. 59—66 et Bentlei opusc. p. 232 (ed. Lips.), abhandl. deutsch von W. Ribbeck p. 192.

[4]) Schmidt. p. 66—68.

857. 856. Oedip. 733. 735. Agam. 614. 628. 800. 804.[1]) 839. 842.[2]) Longius etiam progressus licentia Agam. 611 talem finxit sapphicum: ‚Quam non Pelei Thetidisque natus‘ et Agam. 598. 612. 847 tales:

Vt quondam Herculea cecidit pharetra.
Motam barbaricis equitum cateruis.
Audiuit sonitum crepitante lamna.

quae illorum carminum libertate excusantur.

Glyconeorum deinde item in omnibus praeter Troadas tragoediis adhibitorum semper ea forma probata fuit poetae, quae e spondiaca basi et dactylo cum cretico constat, nisi quod in Oedipo et Agamemnone aliquotiens eam neglexit, nam huius fabulae duobus, tredecim illius exemplis spondiacae basi praetulit iambicam: Oed. 709: ‚fata sed ueteres deum‘ Agam. 841: ‚Vidit Hippolyte ferox Pectore in medio rapi‘.[3]) Quibus adde Oed. 881—3. 886. 888. 897. 898. 900. 902. 906. 909. 911. Ceteri huius carminis uersus ab Hermanno[4]) pro glyconeis admisso dactyli loco Catulli exemplo spondeo habiti, quem secutus est Schmidtius p. 70, secundum L. Muelleri sententiam (p. 166) dimetri trochaici sunt. Hic enim Hermanni opinionem uel hoc ait refelli, quod semper spondiaca basi glyconei uersus utatur Seneca praeter cantica liberiore metro constantia. Quod argumentum nihil ualere adparet, si Oedipum non a Seneca profectam esse demonstrari potest. Denique bis habes dactylum pro spondeo in basi: Oed. 728: ‚caeruleum erexit caput‘ Ag. 633: ‚et fremuit male subdolo‘ (Both: ut fr.) nisi priore loco cum Bothio scribendum est: ‚caerulum‘, altero autem ‚et fremit‘, nam temporis enallage frequentatissima his tragoediis. (cf. Med. 678. Troad. 979. 1090. Phaed. 225. 511. Oed. 663. 173. 786. 805. 847. Gronou. ad Phaed. 510 et Sen. epist. 114.)

De ceteris metris, quorum pleraque in illis carminibus liberioribus inueniuntur, cum nihil ad rem faciant, licet tacere.

Iam uero etiam in dicendi genere tam multa uel prorsus singularia uel a ceterarum usu aliena habent Oedipus, Agamemno, maxime autem Hercules alter, ut suspitio non esse a Seneca scriptas has fabulas ab hac quoque parte confirmetur.

Sic in Hercule altero, ut ab ea incipiam, quae maxime dubitationem mouet fabula, particula *etiam* in omnibus ceteris usurpata prorsus desideratur, (bis tantum ‚etiamnum‘ legitur 711. 725.) At *saltem* septiens legitur in Herc. II (87. 933. 1216. 1318. 1375. 1417. 1917.), in ceteris bis tantum (Med. 1004. Agam. 490).

---

[1]) ‚Magnus Alcides cui lege mundi‘. Sic enim hunc uersum describendum censeo.

[2]) ‚Nube percussa Stymphalis alto‘. Nam sic diuidendi uersus:
Spolium et sagittis
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit caelo. Cf. p. 23 not. 1.

[3]) Videtur scribendum: ‚Pectore *e* medio rapi.‘

[4]) Epit. doct. met. p. 190. 459.

Item *nempe* particula, quae in ceteris fabulis raro inuenitur (singulis enim locis in Herc. Thy. Oed. Ag., binis in Phaed. Oct, tribus in Troad.) amata fuit Herculis alt. auctori, nam nouiens eam posuit (333. 354. 364. 367. 370. 375. 438. 913. 914.) Porro in hac sola fabula reperiuntur particulae *forte* (501. 523. 723. 930), nisi quod semel in Agam. 352 ‚nisi forte' legitur, *fere* (408. 453 ubi Florent. uitiose ‚fare' quod Bothius emendauit), praepositio *propter* (300. 1299.). Deinde *interim* in sola Hercule alt. (482. 931) notionem habet particulae interdum, unde Daniel Heinsius (ad. u. 481, apud Scriuer. p. 340) posterioris esse aeui ‚hunc foetum' perperam conclusit. Nam hanc particulam iam Senecae, Plinio, Quintiliano illa significatione frequentatam esse ostendit Handius Tursellin. III. p. 427. Cui tamen qui Quintiliani tempore credunt hunc usum natum esse, ei falluntur, nam a Liuio uidetur repetendus, cuius unum exemplum extat apud Senecam rhet. suas. p. 35. 19 (ed. Bursian.), ubi Liui de Cicerone memoratur testimonium: ‚ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis *interim* ictus uolneribus.' Ipse rhetor contr. p. 138 14: ‚aiebat *interim* decentiorem faciem esse in qua aliquis naeuos inesset'. (libri: facem essem — naeuos fuisset). Cf. praef. ad cont. l. IV (exc. p. 377. 6.) —

Particulae *quamquam* absolute cum participio iunctae unicum nisi fallor, in his tragoediis extat exemplum u. 1862: ‚expedi in planctus tamen *Defessa quamquam* bracchia'.[1])

Deinde pronomen *aliqua* positum est pro *quaedam* 1850:

Defleuit *aliqua mater* et toto stetit
Succisa foetu, bisque septenos greges
Deplanxit una.

Nam aperte de Nioba loquitur Alemena. Sic etiam Ouidius met. 10. 560: Forsitan audieris *aliquam* certamine cursus
Veloces superasse uiros.

ubi Atalanta intellegitur. Alia huius usus exempla a Burmanno ad hunc locum et ad remed. am. 589 congesta non satis quadrant.

Valde autem abhorret ab usu quod u. 1589 *quiescendi* uerbum cum adcussatiuo coniungitur:

Ante descendet glacialis Vrsae
Sidus et pontus uetito fructur,
Quam *tuas laudes* populi *quiescant.*

i. e. laudibus adquiescant, te laudare desinant. Requiescere saepe actiue dicitur, sed tum semper significat ‚quietem reddere, sistere, cessare facere.' Mirum deinde est quod 822 de Licha ab Hercule in pontum coniecto legitur:

Truncus in pontum cadit
In saxa ceruix,[2]) funus *ambobus* iacet,

---

[1]) Recentiores scriptores et poetae non raro sic locuti sunt. Lexica cum hunc usum ignorent, non nulla exempla proponam. Quintil. VII prooem. 2; X. 1. 104; XI. 1. 34; IX. 2. 53; Tac. an. II. 75; III. 30. 59. 72. 73. IV. 20. Suet. Iul. 34. Val. Flacc. I. 309; III. 610; V. 481. Cf. I. 149; III. 600.

[2]) Florentinus: uersus, Gronou. ci: uertex, emendauit Bothius.

quod uereor ut latine dici possit pro ,utroque loco' uel ,utrobique'. Neque magis concoquere possum uerba quae 1600 leguntur:

lassus an *pondus* titubauit Atlas?

nam sic non posse dici pro ,lassus propter pondus' recte iam monuit D. Heinsius. Adeussatiui enim Graeci quem uocant alia est ratio. Quo commotus Bothius rescripsit ex editione principe ,*passus*' quod tamen non satis placet. Melius, puto, foret:

fassus an pondus titubauit Atlas

nam fateri saepius eleganter pro ,indicare, manifestare, prodere' dici notum est. Si uero sana sunt poetae uerba, actiue positum putauerim titubandi uerbum pro quatiendo, quamquam alterum huius usus non noui exemplum. Deinde prorsus singulare est quod *genus* compluriens pro *genere humano* ponitur (761. 1811. 1863. 63.) [1]) Tribus aliis huius tragoediae uersibus genus nationem significat (1700. 1885. 40), quod non insolitum quidem sed ab harum fabularum usu alienum est. Idem dicendum est de *ponendi* uerbo cum adeussatiuo casu iuncto u. 191: ,Vel in Edonas *ponite* siluas'. Passim sic locuti sunt poetae (Cf. lex. Forcell.), quare non erat cur ,*tollite*' Bothius reponeret, quem alibi quoque dicendi generis illius aeui non satis gnarum deprehendi. Iam uero *aucupare* forma actiua, ueteribus solum modo comicis probata, legitur u. 482:

Circumspice agedum ne quis arcana *aucupet*.

Deinde *colus* substantiuum in hac fabula constanter flexionem quartae patitur declinationis (219. 373. 669. 769. 1098. 1180. 1085. 564.) Editiones quidem uariant, sed Gronouio teste (ad. u. 768) Florent. ubique praebet ,col*us*'. Sic etiam in *Oedipo* 984 ,Seruatque suae decreta *colus* Lachesis'. [2]) At Hercule priore 559 dicitur:

Parcarumque *colos* non reuocabiles.

(,colos' autem in Florentino esse Ribbeckius me docuit.) Semel etiam ipsam lanam significat in colu positam 669: ,colus Quas indoctae neuere manus'. Item *tabus* dicitur 321: ,tabum fluen*tem*' (sic Florent.), alibi uero semper neutrius est generis. [3]) *Sonandi* uerbum intransitiue pro ,audiri, praedicari' usurpatum est u. 693: ,Felix alius magnusque *sonet*' (sic. Flor.), Singulari deinde phrasi poeta utitur ,*fatis ignoscere*', id est delictum fati culpa commissum non uindicare, u. 888 ,quicumque *fato ignoscit* et parcit sibi' et u. 948: ,Parce iam mater, precor, *Ignosce fatis*: error a culpa uacat.' Porro per synecdocham quandam Herculis claua *nodus* uocatur u. 1662 ,Hic *nodus*, inquit, nulla quem cepit (sic Flor.)

---

[1]) Aliter accipiendum est *genus* Phaed. 471: Venus
Quae supplet ac restituit exhaustum *genus*
ubi de omni genere animantum dictum est, ut apud Lucret. I. 195: propagare genus.

[2]) Cf. Schneider. lat. gramm. II. p. 447. Priscian. K. I. p. 269. 16.

[3]) Perperam L. Muellerus (p. 377) coniecit ,tabum fluen*tum*.' Melius Burmannus ad Lucan. IV. 321 'tab*em* fluentem.' Cf. de his formis Drakenborch. ad *Liu.* IV. 30. 9. Reisig.-Haase. p. 127 not. 134. Charisius et Diomedes ablatiuum tantum agnoscunt casum ,tabo' et inter monoptota referunt. Cf. p. 29. 26; 35. 28; 39. 1; 309. 14. K.

manus, mecum per ignes flagret'. Quod in apocolocyntosi aptius fuisset.

Denique non est praetereundum, in sola hac fabula bis adiectiuorum in is, e formatorum inueniri ablatiuum, qui e pro i adsumit, u. 1451: quale (scl. stipite), 1845: incólume nato. (cf. Pompon. apud Charis I. p. 132 K: ,ex humile rege'.) Formam adbreuiatam *uiden* pro *uidesne* nusquam inueni in his tragoediis nisi Herc. II. 1208: ,*Viden* ut laudis conscia uirtus'.

Item in Oedipo et Agamemnone non nulla reperiuntur insolenter prolata. Particula *etiam* quam in Hercule altero deesse iam monuimus, in his fabulis singulis tantum, nisi fallor, obuia est uersibus (Oed. 676. Ag. 975.) In ceteris fabulis et in Octauia undeuiciens inuenitur. Item particula *quoque*, minimum septuaginta locis in his tragoediis usurpata, in Oedipo et Agamemnone non nisi singulis extat locis (Oed. 237. Agam. 318). Contra *donec* in Oedipo quater legitur (620. 744. 759. 905), in Herc. II. semel (430), item in Octauia semel (483), in relicuis numquam. Porro *adhuc* triginta duobus ceterarum fabularum exemplis legi, numquam in Oedipo. *Palam* praepositionis uicem tenet Agam. 258 (,palam marita', sic Flor.), aduerbium est Herc. II. 1262, praeterea non extat. *Attamen* in his tragoediis non nisi Agam. 401 legitur, *aduersus* tantum Oed. 90; Ag. 474, ubi aduerbium est. *Potius* quod Herc. 1265. Thy. 522. Phoen. 110. 494. Phaed. 613. 655. 622. Med. 507. Troad. 355. 694. Oct. 76. 580 reperitur, prorsus desideratur in Herc. II, Oed. Agam. Quae omnia si quis mero casui uolet tribuere, is uereor ne nimis superstitiosus sit. Iam uero rarissimam omnino particularum *en ecce* coniunctionem, quae ad uim sermonis augendam fit, semel in *Oedipo* probatam uidemus u. 1003: ,*En ecce* rapido saeua prosiluit gradu' (,En ecce' in Flor. est Ribbeckio teste), ubi Bothius *et ecce* edidit, illud ;soloecum' uocans. At apud Apuleium compluriens inuenitur, uelut met. IX. 15. p. 1039 (ed. Hildebrand.): ,*en ecce* — Lucius — triumphat'. ibd. X. 9. p. 898 ,et *en ecce* perlatam coram exhibeo'. Quae uero Handius Tursell. II. p. 373 praeterea memorat huius usus exempla, in eis errat, nam in Hercule 523 cum Florent. legendum est ,*est, est*', non ,*en, en*' et apud Plautum Amphit. Prol. 120 quod olim legebatur *en eccum* nunc ueriore scriptura sublatum est.[1]) Substantiuum alioquin prorsus inusitatum legitur u. 207:

Trepidum gemino pectus *adflictu* labat.

(sic Flor.) Lexica duo quidem exempla praebent, alterum Apulei de mundo 35: ,Quippe ubi nubes *adflictu* ignem dat', Ciceronis

---

[1]) Neque uero neglegendum est, etiam in libris philosophicis multa admisisse Senecam, quae praeterea apud solos infimae aetatis scriptores inueniuntur. Qualia haec sunt: *abnoctare* dial. VII. 26. 6. (Gell. Martian.), *hallucinatio* ibd. (Arnob.), *cathedrarius* dial. X. 10. 1. (Sidon. Paulin.) *consummabilis* epist. 1. XIV. 4. 27. (92), *diuolsio* ibd. XVI. 4. 15. (99), *effricare* ibd. XV. 3. 36 (95) (Tertull. Apul.), *inseparabilis* ibd. XII. 3. 18. (85), *intellegibilis* ibd. XX. 7. 2. (124), *nepotari* de ben. I. 15. 3., *praeceptiuus* ep. XV. 2. 16; 3. 1; (94. 95.), *reformatio* ibd. VI. 6. 26. (58), *superciliosus* ibd. XX. 6. 11. (123.) Quibus multa eiusdem generis addi possunt alia.

alterum Tuscul. II. 9: ‚eefeminata uirtus *adflictu* occidit', sed Apuleio recte restituit Hildebrandus omnium codicum lectionem ‚*adflictrix*', in qua nihil est cur haereatur et apud Ciceronem codices habent ‚*adflicta*'. Quocirca haud scio an scribendum sit illo uersu ‚*adfectu*', quae uox Senecae hac significatione propria est. (Cf. Med. 390. Phaed. 213. 611. 917. Agam. 224. Phoen. 383. 461.) Mirum deinde est quod u. 152 serpens uocatur *latebrosa*, i. e. latebras amans, in latebris habitans, cum alibi semper de loco latebris pleno usurpetur. *Euoluendi* uerbum u. 966 pro eruendo positum est

Radice ab ima funditus uolsos simul
Euoluit orbes

cuius notionis unum praeterea noui Lucani exemplum consimile II. 184 ‚Ille canis *euoluit* sedibus orbes.' Inusitatiorem structuram habes u. 856: ‚Ferrum *per* ambos tenue *tran*sactum pedes', nam uolgo dicitur ferro aliquem transigere. Sic Silius quoque locutus est XIII. 376: ‚*per* pectora *transi*git ensem'. Magis etiam offendit, quod u. 224 in trochaico tetrametro legitur:

Torpor *in*sedit *per* artus,

pro ‚in artubus' uel ‚artubus'. Sed talia obuia sunt passim in his tragoediis, nam *ex*trahere *ab* dicitur Thy. 1. Phoen. 6, *ad*stare *iuxta* Herc. 356 (*ad*stare *in* Stat. Th. II. 678.), *ex*igere *in* Med. 125. et Sen. dial. VI. 16. 5. Cf. p. 38 ad Med. 125. Porro *latendi* uerbi cum datiuo iuncti casu unum in his fabulis extat exemplum Oed. 295: ‚uisu caren*ti* magna pars ueri *latet*.' Sed non abhorret ab usu. Lucanus, cuius mire cum hac tragoedia consentit dicendi ratio, I. 409: *mihi* semper tu *late*.'

Iam uero in Agamemnone primum commemorandum est, nomen *Pergamum*, quod Troad. u. 14. feminino genere positum est: ‚Excisa ferro est Pergamum', neutrius generis esse Agam. 419: ‚Vt Pergamum omne Dorica cecidit face', metro minime id flagitante. Deinde *Pelopeus* dixit poeta Med. 880. Thy. 22. 641, at *Pelopius* Agam. 7. 165, metro his quidem locis commotus, sed 194 ubi legitur: ‚*Pelopia* Phrygiae sceptra' (Sic in Flor. haberi per Ribbeckium cognoui.) licebat scribere ‚*Pelopea*'. Singulare est quod u. 8 dicitur: ‚Hinc *auspicari* regium capiti decus Mos est Pelasgis' i. e. coronare solebant. Dicebant Romani auspicari aliquid uel aliquid facere, numquam uero, quod sciam, auspicari alicui aliquid. *Fecundus* in aliquid dixit poeta u. 705: ‚*Fecunda in* ignes Hecuba', quod praeterea apud solum Silium inueni II. 498: ‚*Fecundum in* fraudes hominum genus.' Adiectiuum *festus* quod apud alios scriptores non nisi de rebus adhibetur, de personis usurpatum est u. 639 et 771. (festae matres. festa coniux.)[1]) *In lucem* u. 574 ‚cecidit *in lucem* furor' (i. e. desiit tempestas) insolenter prolatum est pro ‚ad, sub lucem'. *Vapulandi* uerbo comicis maxime frequentato usus est poeta u. 93: ‚turris pluuio *uapulat* austro'. *Lustrum* deinde simplicem annum significat u. 42: ‚Post decima Phoebi *lustra* deuicto Ilio Adest' (scl. Agamemno.) Sic praeterea

[1]) Vetustiores diem tantum uocabant festum. Latius patuit huius adiectiui usus inde ab Augusto. Hor. c. III. 18. 11 festus pagus, Sil. XI. 272 festa urbs, Plin. ep. II. 17. festi clamores. Plin. h. n. II. 45 festa pax. Quint. VI. 3. 16 festae licentiae. Cf. Bötticher. lex. Tacit. p. 198.

locutus est Manilius, cuius in astronomicis III. 321: ‚Et paribus spatiis per singula *lustra* resurgant' lustrum uel quadrienninm est (cf. Plin. h. n. II. 48), uel annus, ut infra 580: ‚*Lustra* decem tribuent solis cum mensibus octo'. Fortasse etiam Vergilius Aen. I. 283. ‚ueniet lustris labentibus aetas' lustra annos esse uoluit.

Denique non nulla habent communia Oedipus, Agamemno, Hercules alter, quae a ceteris fabulis aliena sunt. Huc spectat *edisserendi* uerbum, quod legitur Oed. 786. Ag. 958. Herc. II. 1617. Item in his solis fabulis uocabulum *paedor* reperitur, quod obsoletum esse uidetur, nam Cicero adfert e uetere poeta Tusc. III, 12. 26 (cf. Ribbeck. fragm. inc. 191.) et Attius eo usus est (Ribb. 111) et Lucretius VI. 1266. Omnino enim in his fabulis, maxime autem in Oedipo, uocabulorum ueteribus poetis frequentatorum adfectatio quaedam cernitur, quo ex genere non nulla congessit Schmidtius in Mus. Rh. XVI (1861) p. 589 not. Huc enim pertinet *uapulari* modo ex Agamemnone memoratum, *aucupandi* forma actiua supra ex Herc. II adlata, *autumare* Herc. II. Oed. 704 (Etiam Phaed. 258.), *Subditiuus* Oed. 802, *frondifer* Oed. 276, *altisonus* Herc. II. 531, *blandiloquus* Agam. 289 (Plaut. Bacch. V. 2. 45. *blandiloquentia* Ennius, 227 Ribb.) Item ueteribus poetis propria est *pudendi* uerbi constructio cum nominatiuo, et adcussatiuo quam imitatus est Oedipi auctor u. 334 ‚pudet deos nescio quid' (Lucan. VIII. 495: ‚quem saeua pudebunt'.)[1]) Veterum quoque exemplo *orbus* cum genetiuo iungitur Oed. 996 ‚luminis orbus'. (Sic binis locis Ouidius quoque et Silius). Ablatiuus *quis* pro quibus extat Oed. 678. Agam. 197. Med. 711. Oct. 731, 623. Veteres formae *Agamemno*, *Creo*, *Tiresia* leguntur Oed. 399. Ag. 512. Oed. 289. Verbum a Plauto repetitum posuit Oedipi auctor u. 294: ‚Haud te quidem, magnanime, mirari *addecet*'. In relicuis fabulis talia rarius inueniuntur: *clepere* Herc. 799. Med. 156 (utroque loco translata significatione ‚se clepere', i. e. se occultare), *sublimus* Med. 1015. (‚sublimi aetheris'. Sic Lipsi codex, omnes Delriani, Ortelianus; de Flor. non constat. Bothius edidit ‚sublime aetheris'. Cf. Ribbecki indic. ad tragg. rell.) Formae ueteres *Pelia* Med. 201. 276. *Laerta* Thy. 783. Denique non nulla huc referenda uidentur ex adiectiuius in *ficus* terminatis. (cf. p. 3 not. 2 et Schmidt. l. c. p. 590.)[2])

Haec fere sunt quae ad probandam sententiam supra prolatam, Herculem alterum, Oedipum, Agamemnonem non eiusdem esse atque ceteras sex fabulas auctoris, e metrico genere et grammatico mihi uidebantur proferenda esse. Quae si quis paulo adcuratius examinauerit, de Hercule certe altero iustam esse dubitationem debebit concedere. Quam ad augendam et confirmandam iam alia accedunt, per se quidem leuidensia sed quae cum illis argumentis conposita non nullius

---

[1]) Cf. Priscian. R. II. p. 329. 14.

[2]) In Senecae pedestribus libris non pauca a ueterrimorum poetarum usu repetita inueniuntur, ueluti *effligere* (dial. III. de ira 1. 15. 2); *obstrigillare* ep. XIX. 6. 6; *ualitudinarius* dial. V. 33. 5; *manducatus* ep. XV. 3. 27; *confragosus* dial. II. 1. 2; ep. XVIII. 4. 2; *manulcatus* ep. IV. 4. 2; *siremps* ep. XIV, 3. 16; multaque alia.

sint momenti. Nullum enim habemus disertum de hac fabula ueterum testimonium, quam in eo quoque commemorandum est a ceterarum constanti recedere consuetudine, quod duos habet choros, longeque eam inferiorem esse ceteris uirtute poetica omnes huius rei existimatores profitentur. Age uero et qualis sit uide dramatica huius monstri ars et conpositio. Conspicimus incunte fabula Herculem in promontorio insulae Euboeae Cenaeo Ioui sacrificantem et turgida inflataque oratione merita sua iactantem, audimus deinceps chorum Oechaliarum uirginum patriae ruinam, seruitutem ipsarum lugentem. Secundo actu subito sumus Trachine ante Herculis domum, ubi deinde tota actio uersatur, chorum nunc habemus mulierum Aetolarum, altero isto prorsus sublato qui quid sibi uoluerit in tota fabula minime perspicitur. Actu quarto finito finita esse uidetur actio, nam Deianira propria manu mortua, et Herculis apotheosi praedicta nihil etiam exspectamus. Nihilo minus quadringenti fere secuntur uersus, quibus ubi primum longa et molestissima Philoctetae narratione de Herculis funere expositum est, Alcmena cum Herculis conbusti cinere accedens sermone canticoque usque ad taedium adfectato filium mortuum et suam ipsius miseriam lamentatur. Deinde ipse Alcides, in deorum collegium receptus, adparet matremque lugentem solatur uirtutem ad astra tendere docens. Choro denique anapaestis nouum deum celebrante fabula finitur. Primus igitur et ultimus actus prorsus superuacanei sunt. Molestissima autem luxuries et abundantia offendit in singulis enarrandis, frequens eiusdem uocis repetitio, creberrima laborum Herculis commemoratio.[1]) Quae licet in ceteris quoque fabulis reprehendenda sint uitia, tot tamen tamque intolerabilia in nulla inueniuntur. Quid uero? Imitatoris inbecillitas uel eo se prodit, quod multa ex aliis fabulis, inprimis ex Hercule priore, in usum suum conuertit, qualia haec sunt:

Herc. I. 36: ‚*Patrem probaui* (scl. Iouem), gloriae feci locum.‘ Iuno autem loquitur. Herc. II. 9: Hercules Iouem conpellat:

teque testata est meum
Patrem nouerca.

Herc. I. 30: — *Quidquid* horridum *tellus creat*
Inimica, *quidquid pontus aut aer tulit*
— —
Fractum atque domitum est.
Herc. II. 14: omne concessit malum
Quod terra genuit, pontus, aer, inferi.
ibd. 28: *quodcumque tellus genuit infestum,* occidit
Meaeque fusum est dextera.

Herc. I. 24: Nullus *Antaeus Libys*
Animam resumit; *cecidit ante aras suas*
Busiris e. q. s.
Herc. II. 484: Eryx et Eryci iunctus *Antaeus Libys*

---

[1]) De talibus disseruit et exempla addidit D. Heinsius, apud Scriuerium. (p. 347 8.)

Et qui hospitali caede manantes *foci*
Bibere iustum sanguinem Busiridis.

Herc. I. 26: *una est Geryon sparsus manu.*
Herc. II. 489: Nec *unus una Geryon uictus manu.*

Herc. I. 938: Si quod etiamnum scelus
Latura tellus, *properet et si quod parat*
Monstrum, meum sit.
Herc. II. 34: Vel si times ne terra concipiat feras:
Properet malum quodcumque dum terra Herculem
Habet, uidetque.

Herc. I. 948: — *et rutilat iubam*
ceruice iactans.

Herc. II. 70: At ipse *iactans feruidam*
collo iubam.

Herc. I. 1011: *Megara furenti similis*
Herc. II. 341: *Stetit furenti similis* ac toruum intuens
Herculea coniux.

Phaed. 602: *En locus ab omni liber arbitrio uacat.*
Herc II. 485. *En locus ab omni tutus arbitrio uacat.*

Sed haec pauca sunt e multis.

Iam uero, ut summam faciam, quoniam tot tantaque inter hanc fabulam et ceteras in re metrica et prosodiaca, in dicendi genere, in arte dramatica intercedere uidimus discrimina has ut uni eidemque homini uix ac ne uix quidem tribuere possimus: Herculem alterum a Seneca necessario abiudicandam esse statuo.

Neque uero eadem cum confidentia iudicare ausim de Oedipo et Agamemnone; Nam quae in his inueniuntur a ceterarum consuetudine aliena, ea neque tam multa sunt quam in Hercule altero neque eandem habent uim persuadendi. Etenim et licentiarum metricarum fatendum est magnam partem a carminum istorum liberiorum ratione excusari et in rebus prosodiacis interdum eosdem poetas parum sibi constitisse uerum est.[1]) Accedit quod has fabulas ante ceteras scripsisse cogitari potest poeta, neque statim ab initio eam adsecutus esse artis et elegantiam et scueritatem quas in relicuis admiramur. Verum tamen omnibus reputatis grauem sempulum animo insidentem tollere nequeo, eis maxime commotus quae p. 27 de particularum usu

---

[1]) Exempla ex Herc. alt. supra p. 15 adtuli; uide etiam quae p. 14 de particula ‚retro' exposui. Cf. Lachm. ad Propert. II. 3. 43. Luc. Mueller. de r. m. p. 47 sq. et p. 314. Schneidewin. ad Soph. Electram 148.

exposui. Nam particulam quandam in omnibus frequentatam cur in una tantum uel altera fabula neglexerit poeta, uel qua in una duabusue dedita opera usus sit, cur tandem in omnibus ceteris ab eadem consulto sese abstinuerit, nulla prorsus exputari potest ratio.

Quare has quoque fabulas non scriptas esse a Seneca uero proximum habeo. —

— Denique haud paruam puto sententiae meae commendationem, quod dedita opera in hanc rem inquirens idem fere ego inueni quod solo perspicacissimi ingeni acumine summus uidit Ricardus Bentleius, qui Octauiam, Herculem alterum, Agamemnonem a Seneca scriptas esse negauit in dissertatione de poculis Thericlaeis scripta. [1])

Inter ceteras sex fabulas si quae inueniuntur discrimina, quod raro tantum fit, talia sunt, quae inter cuiusuis scriptoris diuersa opera intercedere uidemus. Summam autem rei si spectas, maximam in omnibus et artis et sermonis constantiam cerni fateberis. Quam ob rem harum omnium Senecam fuisse auctorem non est cur negemus. Accedit quod in his potissimum tragoediis permulta reperiuntur, ubi ipsius Senecae indoles, ingenium, dicendi ratio manifesto se prodat. Quare non inutile duxi, talium locorum (quorum non nullos iam Gronouius et Badenus adnotauere) infra ponere delectum.

Hercules.

u. 12: ‚terret Orion *deos*‘ i. e. sidera. Infra u. 516: ‚quam cum clara *deos* obtulerit dies‘. De benef. IV. 23. 4: ‚innumerabiles uero longiusque a conspectu *di* eunt redeuntque‘.

34. ‚*in laudes suas Mea uertit odia*‘. dial. I. 2. 4: ‚quicquid accidit, boni consulant, *in bonum uertant*‘.

46. *nec satis terrae patent.*‘ Infra 605: ‚*non satis terrae patent*‘ dial. IX. 9. 1: ‚si prius parsimonia placuerit, sine qua nec ullae opes sufficiunt, nec [cum illa] ullae *non satis patent*‘. dial. VI, 24. 2: ‚scies *multum patuisse* hoc tempus, ex quo nihil perdidisti‘. epist. III. 2. 5 (23): ‚hoc de quo loquor — solidum est [et] *quod plus pateat* introrsus‘.

76: ‚*manibus ipsa dilacera tuis.* Quid tanta *mandas odia*?‘ dial. V. 3. 3: ‚nec *mandat ultionem suam* sed *ipse* eius exactor animo simul ac *manu saeuit*‘.

117. ‚*querulos inter nidos*‘ i. e. pullos. Eadem translatio ep. XX. 5. 12 (122), ubi Montanus poeta:

iam tristis hirundo
argutis reditura cibos inmittere *nidis*
incipit e. q. s.

147. ‚Ille *superbos aditus regum* Durasque fores colit, ep. IV. 4. 10 (4): ‚non est necesse *superbis adsidere liminibus*‘. (cf. Horat. ep. II. 7.)

190: ‚Nulli *scriptum* proferre *diem*‘. dial. I. 5. 8: ‚ille ipse omnium conditor ac rector *scripsit* quidem *fata*, sed sequitur‘ e q. s.

---

[1]) Opusc. ed. Lips. p. 232. abhandl. deutsch von W. Ribbeck p. 192. —

222: ‚*prolusit hydrae*'. Phaed. 1062: ‚*prolusit irae*'. Med. 896: ‚*prolusit* dolor *per ista* (scl. scelera) noster'. Troad. 186: ‚Threicia qualis arma *proludens* tuis Iam Troia fatis strauit.' epist. XVII. 2. 23 (102): ‚*per has* mortalis aeui *moras* illi meliori uitae longiorique *proluditur*', nat. quaest. III. 28. 3: ‚denique cum *per ista prolusum est*, crescunt maria.' dial. IV. 2. 5: ‚sed omnia ista motus sunt animorum moueri uolentium nec adfectus, sed principia *proludentia* adfectibus.' (Lexica huius uerbi praeterea haec adferunt exempla: Cic. or. II. 80. Iuuen. V. 26. Quibus adde Sen. suas. VI. 7: ‚morti *proluditur*.' Locutio ‚proludere per aliquid' Senecae propria uidetur esse.)

251: ‚*prosperum ac felix scelus Virtus uocatur*'. dial. IV. 9. 3: ‚et *pro gloria habita quae quamdiu opprimi possunt scelera* sunt.'

296: ‚*unde illum mihi — diem?*' i. e. ‚quando ille dies ueniet?' Sic epist. XV. 3. 36 (95): ‚*unde* ista tam rapacia uirtutis ingenia uel ex se fertilia?' de ben. III. 36. 2. ‚*unde* certamen tam optabile? *unde* tantam felicitatem parentibus, ut fateantur [se] ipsos liberorum beneficiis impares?' (Videtur hic usus ex ellipsi quadam natus; unde illum diem scl. petam, repetam. cf. Horat. sat. II. 5. 102.)

290: ‚erumpe *rerum terminos* tecum efferens'. epist. XV. 2. 16 (94.): ‚sapientia *rerum terminos* nouit'. ibd. XIX. 1. 4 (110): ‚prope est *rerum omnium terminus*.' (cf. Bentl. ad Hor. carm. saec. 26.)

317: ‚*demersus ac defossus*'. nat. quaest. V. 15. 3: ‚quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum incuruauit et *defodit* et — *mersit*'. ibd. 4:, — quos in imo, ubi illud malum uirus latitat, *infodit*'. Cons. ad Polyb. dial. XI. 13. 3: ‚quae cum ex ipso hoc angulo, in quo ego defixus sum, complures multorum annorum ruina obrutus *effoderit*'.

328: ‚*quem saepe transit casus, aliquando inuenit*'. nat. quaest. VI. 1. 13: ‚*circuit fatum et si quid diu praeteriit, repetit*'.

435: ‚Virtutis est domare quae cuncti pauent'. dial. I. 4. 1: ‚at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni uiri est'.

437: ‚*Non est ad astra mollis* e terris *uia*'. dial. I. 5. 9: ‚*non erit* illi *planum iter*'. (scl. uiro forti.)

513: ‚Miserum ueta perire'. De benef. II. 5. 3: ‚misericordiae genus est cito occidere'. (cf. Med. 1005: ‚perfruere lento scelere'.)

725: ‚Magna pars regni trucis est ipse dominus'. cf. ad Phoen. 55.

746: ‚Scelera *taxantur*'. de benef IV. 36. 3: ‚quanti promissi mei uerba *taxentur*'. de clem. II. 7. 3: ‚*taxare* litem.' ep. III. 3. 2 (24.): ‚timorem tuum *taxa*.' dial. VI. 19. 1: ‚tanti quodque malum est quanti illud *taxauimus*'.

735: ‚*quod quisque fecit patitur*'. ep. IV. 10. 5 (39): ‚quod ‚*quae fecere patiuntur*'.

814: ‚*lucis* ignotae *bono*'. ep. X. 3. 11. (79): ‚adhuc non fruitur *bono lucis*'.

928: ‚astra *inoffensos* agant Alterna *cursus*'. dial. I. 1. 2: ‚hanc *inoffensam uelocitatem*' (scl. siderum).

991: ‚*quo se* coecus *impegit furor?*' dial. IV. de ira 2. 91: ‚*quocumque* uisum est, *libido se impegit*'. ibd. 1. 3. 5 (dial. III);

‚irasci dicit incitari, *inpingi*‘. dial. V. 3. 14. 4: ‚neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum casus *inpingat*‘.

1281: ‚Agedum *dextra, conare adgredi* Ingens *opus*‘. dial. I. 2. 10: ‚*adgredere anime* diu meditatum *opus*‘. Thy. 192 ‚*Age, anime,* fac.‘ 270: ‚*hoc anime occupa*‘. (cf. 283. 423. Phoen. 44.)

1310: ‚hanc *animam* leuem — — *in ore primo teneo*‘. nat. quaest. III. praef. 16. ‚*in primis labris animam habere.*‘ (i. e. morti paratum esse.)

Thyestes.

13: ‚*In quod malum transcribor?*‘ dial. VI. 16. 2: ‚In qua Cloeliam contempto hoste et flumine ob insignem audaciam tantum non in uiros *transcripsimus*‘. epist. I. 4. 2. (4): ‚maius expecta, cum puerilem animum deposueris, et te in uiros philosophia *transcripserit*‘.

151: — ‚quid *famem infixam intimis* Agitas *medullis*‘. ep. XV. 2. 6 (94): ‚*fixam* potius *medullis famem* detrahe‘.

166: ‚*exercere manus*‘. Haec phrasis Senecae frequentata. cf. dial. VIII. 6. 3; V. 18. 2; de clem. I. 7. 4; nat. q. VII. 14. 1.

214: ‚Vbicunque tantum honesta dominanti *licent* Precario regnatur‘. De clem. I. 18. 2: ‚cum in seruum omnia *liceant*‘. dial. XI. 6. 4: ‚Multa tibi non *licent,* quae humillimis et in angulo iacentibus *licent*‘. ibd. 7. 2: ‚Caesari quoque ipsi, cui omnia *licent* propter hoc ipsum multa non *licent*‘. Hanc pluralis formam praeterea non inueni.

282: ‚*ingesta* orbitas *In ora* patris‘. Infra u. 731: ‚an scelus sceleri *ingerit*‘. Med. 132: ‚*funus ingestum patri*‘. 461: ‚*ingerere supplicia*‘. Ep. III. 8. 7. (29): ‚Hos mihi circumlatores *ingeret*‘, de benef. I. 12. 1: ‚auctorem suum *ingerit* et inculcat‘, VII. 22. 2: ‚hoc ignotis *ingerunt*‘.

395: ‚*leni* perfruar *otio*‘. ep. XV. 2 .74. (94): ‚tunc laudant *otium lene* et sui iuris‘.

430: ‚cur bonis tantis *sinum subducis?*‘ De ben. II. 31. 5: ‚non — *implere* eius *sinum* cupiam, a quo aliquid accepi?‘ VI. 43. 1: ‚in magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt – plurium *sinum* ac domum *implere.*‘ (Plura dedit Gronouius ad Thy. 430. cf. etiam indicem ad Haasi editionem Senecae s. u. sinus.)

465: ‚*nutat silua*‘. ep. XX. 60. 8 (123): ‚quorum *siluae* in tectis domuum et fastigiis *nutant?*‘

470: ‚*Immane regnum est posse sine regno pati*‘ (i. e. durare, uiuere; cf. nat. qu. III praef. 6: ‚sine patria *pati* poterat‘). de ben. III. 37. 3: ‚*hoc est regnum, nolle regnare* cum possis‘.

536: ‚*influentis dona fortunae*‘. ep. V. 10. 5. (50): ‚illud desperandum est, posse nobis casu tantum *bona influere*‘.

546: ‚*credat hoc quisquam?*‘ ep. XVI. 2. 9 (97): ‚*credat hoc quisquam*‘? ibd. XIV. 3. 2. (91.) ‚*quis hoc credat?*‘

645: ‚*habet sub ictu*‘ scl. populum, i. e. sub potestate habet. ep. IX. 1. 10 (72): ‚[est] adhuc genus tertium eorum, qui sapientiae adludunt, quam non quidem contigerunt, in conspectu tamen, et,

ut ita dicam, *sub ictu habent*'. de clem. I. 26. 4: ‚nisi eodem tempore grex miserorum *sub ictu stetit*'. de ben. II. 29. 4: ‚quam nihil sit mortale *sub ictu nostro positum*'. dial. VII. 12. 1: ‚*sub ictu* poenitentiae *positi*'. cf. dial. V. 9. 5 (*sub ictu esse*), de remed. 13. 12 (*extra ictum* uolneris *positus est*).

724: ‚*cumque dubitasset diu*'. cf. p. 14.

1042: ‚clausum nefas, sine exitu luctatur et *quaerit fugam.*' fuga apud Senecam saepe est exitus, uel omnino quaeuis uelox itio (cf. Gron. ad Thy. 639). Sic nat. q. II. 40. 1 de fulmine: ‚Quod tenebrat, subtile est et flammeum, cui per angustissimum *fuga* est'. ibd. VI. 12. 2: ‚sic euenit, ut terrae spiritu luctante et *fugam quaerente* moueantur'. ibd. 30. 4: ‚cum fortasse in illud se spiritus *quaerens fugam* incluserit'.

1053: ‚Sceleri modus debetur ubi facias scelus, Non ubi *reponas*'. reponere aliquid pro rependendo saepe dixit Seneca: dial. III de ira 1. 3. 3: ‚ait enim, iram esse cupiditatem doloris *reponendi*'. dial. IV. de ira 2. 28. 5: ‚cogitemus, inquam, alios non facere iniuriam, sed *reponere*'.

1057: ‚*uerba sunt irae data*'. uerba dare alicui significat decipere, circumuenire aliquem. Locutio est Senecae amata. ep. IV. 3. 1. (32): ‚*uerba dare* non potes: tecum sum'. ibd. V. 9. 6. (49): ‚prospicienda tantum, — *ne uerba nobis dentur*'. ibd. XIII. 3. 8. (88): ‚an Penelope [im]pudica fuerit, an *uerba* seculo suo *dederit*'.

1098: ‚*perdideram scelus*' i. e. incassum feceram. Med. 976: ‚Non in occulto tibi est *perdenda uirtus*'. dial. XII. 3. 2: ‚*perdidisti* enim tot *mala,* si nondum misera esse didicisti'. dial. V. de ira 3. 23. 4: ‚Timagenes — dixerat, nec *perdiderat dicta*'.

Phoenissae.

44: ‚*spiritum inimicum exspue.*' Troad. 1173: ‚ubi hanc senilis *exspuam leti moram*?' dial. V. de ira 3. 43. 4: ‚iam istam *spiritum exspuimus* interim dum trahimus'. Thy. 245: ‚ferro peremtus *spiritum inimicum exspuant*'. Ep. VIII. 1. 20 (70): ‚*spiritum elisit*'.

47: ‚*mortemque totam recipe.*' (Flor. una uoce abundans: ‚mortemque totam admitte, recipe'; ubi ‚recipe' ut exquisitius praeferendum puto, ‚admitte' ex interpretatione natum uidetur.) ep. IV. 1. 9 (30): ‚accessus mortis quam perturbationem adferat, optime tibi hi dicent, qui secundum illam steterunt, qui uenientem et uiderunt et *receperunt*'.

67 sqq.: ‚*Hic alta rupes arduo surgit iugo*
Spectatque longe spatia subiecti maris;
Vis hanc petamus? Nudus hic pendet silex.
Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat;
Vis hanc petamus? Hic' e. q. s.

Prorsus similis locus dial. V. de ira 3. 15. 4: ‚*uides illum praecipitem locum*? illac ad libertatem descenditur. *uides* illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo sedet. *uides* illam arborem breuem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas'.

72: ‚Hic *rapax torrens* cadit, *partes*que lapsi *montis* exesas

rotat'. nat q. III. 27. 7: ‚postquam magis magisque nimbi ingruunt — — *deuolutus torrens* altissimis montibus rapit siluas male haerentes et *saxa* reuolutis remissa compagibus *rotat*'. Thy. 386. 7: ‚urbes sternere machinis longe *saxa rotantibus*'.

55: ‚*pars summa magni patris e regno mea est pater ipse*'. nat. q. VII. 30. 3: ‚quota pars operis tanti nobis committitur? ipse qui ista tractat — — *maior pars sui operis ac melior,* effugit oculos. Herc. 725: ‚*magna pars regni* trucis *est ipse dominus*'. (Haec tam exquisite dicta sunt, ut non possint non eidem auctori tribui.)

78: Victasque magno robore aerumnas doma.
Resiste: *tantis in malis uinci mori est.*
ep. X. 2. 2. (78): ‚itaque imperaui mihi, ut uiuerem. *aliquando enim et uiuere fortiter facere est*'. cf. ibd. 15.

98: ‚*qui cogit mori Nolentem in aequo est, quique properantem impedit*'. ep. X. 1. 7. (77) de seruis dominum mori uolentem prohibituris: ‚alioquin *tam mali exempli esse occidere dominum quam prohibere.*' dial. XI. 13. 3: ‚utrumque *in aequo* mihi eius beneficium *erit*'. (Horat. a. p. 467: ‚inuitum qui seruat idem facit occidenti'.)

108: ‚*faciet,* ubicumque est, *opus*' (scl. *ensis*). dial. I. 2. 10: ‚*ferrum* istud — *edet operas*'.

151: ‚optime *hoc cauit deus. Eripere uitam nemo non homini potest; At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent*'. *deus* loquitur dial. I. 6. 7: ‚Ante omnia *caui,* ne quis uos teneret inuitos; *patet exitus*'. ep. I. 12. 10: ‚Malum est in necessitate uiuere sed in necessitate uiuere necessitas nulla est. Quidni nulla sit? *patent undique ad libertatem uiae multae*, breues, faciles. Agamus deo gratias *quod nemo in uita teneri potest*'. cf. ep. VIII. 1. 40. (70). Herc. 426.

165: ‚*hac* (scl. *manu*) *extrahe animam*'. ep. VIII. 1. 19 (70): ‚qui (scl. Cato) quam ferro non emiserat *animam, manu extraxit.*' de eodem dial. I. 2. 11: ‚et illam — *animam* — *manu educit.*'

170: ‚*membratim* tibi uolui *perire*'. ep. XIII. 1. 14. (101): ‚inuenitur aliquis qui uelit inter supplicia tabescere et *perire membratim.*'

249: ‚*mors me antecessit*', ep. V. 8. 4. (60): ‚*mortem suam antecesserunt*'.

250: ‚*praecoquis* fati'. Eadem forma et item translate dial. V. 6. 2: ‚*praecoquem* audaciam'.

367: ‚*sceleri occucurrit*' (Sic ed. Baden. ex N. Heinsi coniectura. Flor.: sceleri occurrit'.) ep. I. 13. 10: ‚quid iuuabit *dolori suo ocurrere?*'

385: ‚*inclinat animus semper infirmo fauens*'. ep. VII. 4. 27, (66): ‚etiam *parentum amor* magis *in ea, quorum miseretur, inclinat*'.

Phaedra.

46: ‚*Picta rubenti linea penna Vano cludat terrore feras*'. de clem. I. 12. 5: ‚Sic *feras lineae et pinnae clusas* continent'. dial. IV. de ira II. 11. 5: ‚nec mirum est cum maximos ferarum greges *linea pinnis distincta* continet'. ibd. 6: ‚sic itaque ira *metuitur,* quo modo *a feris rubens pinna.*'

142: ‚Pudor est *secundus* nosse peccandi modum' i. e. inferior, minoris pretii. de ben. V. 25. 4: ‚moneri uelle ac posse *secunda* uirtus est'.

165: ‚*Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit*'. ep. XVI. 2 13 (97): ‚*tuta scelera esse possunt, secura non possunt*'.

211: ‚Haec delicatas *eligens* pestis *domos.*' de ben. III. 18. 2: ‚nulla praeclusa uirtus est, omnibus patet, omnes admittit — non *eligit domum*, nec censum'.

440: ‚Quod te ipse *poenis* grauibus infestus domas'. poena hoc loco est labor, cruciatus ut epist. I. 5. 5: ‚frugalitatem exigit philosophia, non *poenam*'.

638: ‚*Sum nocens;* merui mori: *Placui nouercae*'. Eundem pudorem in Metilio laudat Seneca, Marciae filio dial. VI. 24. 3: ‚Adulescens rarissimae formae in tam magna feminarum turba uiros corrumpentium nullius se spei praebuit; et cum quarundam usque ad temptandum peruenisset improbitas, erubuit, *quasi peccasset quod placuerat*'.

978: ‚*Res humanas ordine nullo Fortuna regit*'. ep. II. 4. 5 (16): ‚*siue casus res humanas sine ordine* impellit et iactat'.

1069: ‚*inobsequentes — equi*'. Hoc adiectiuum nusquam alibi extat nisi apud. Sen. nat. quaest. prol. 16: ‚non quia cessat ars sed quia id in quo exercetur saepe *inobsequens* arti est.'

1209: ‚*segregem* sparsi per agros'. de ben 4. 18. 2: ‚quaecumque uaga nascebantur et actura uitam *segregem*'. Hoc adiectiuum etiam apud patrem rhetorem inueni, qui cont. p. 226. 19: ‚quasi publici mali *segregem* (ll: publicis malis gregem) exprobratorem'. Praeterea apud nouissimos tantum legitur. (cf. Ritschelium ad Plaut. Most. 517.)

1208: ‚*morte facili* dignus haud sum'. dial. VI. 18. 8: ‚carissimorum acerba desideria et *mors*, incertum *facilis*, an per poenam cruciatumque'. ep. VIII. 1. 11. (70): ‚Si altera *mors* cum tormento, altera simplex et *facilis* est, quidni huic inicienda sit manus'?

Troades.

208: ‚*dubia quo caderet stetit*'. cf. p. 20.

287: ‚*ipse se irritat furor*', dial. IX. 5. 1: ‚sed *irritabat se ipas saeuitia*'.

303: ‚*detrahe inuidiam*'. de benef. V. 16. 4: ‚quasi potentiae suae *detracturus inuidiam*'.

407: ‚mors *indiuidua* est noxia corpori'. dial. I. 5. 9: ‚quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, *indiuidua* sunt' ep. VII. 5. 10. (67): ‚illic est *indiuiduus* ille comitatus uirtutum'. ep. IX. 2. 8. (73): ‚*indiuidua* bona'. Apud alium poetam hoc adiectiuum non inueni.

438: ‚*mors* certe *aequa* est'. ep. IV. 1. 11. (30): ‚*mors* necessitatem habet *aequam* et inuictam.'

595: ‚*graue pondus* illum *magna nobilitas* premit'. de ben. II. 27. 2: ‚paupertatem *sub onere nobilitatis* laborantem'.

499: ‚uictor *feroces impetus primos habet*'. dial. IV de ira 2. 29. 1: ‚*graues habet impetus primos*'. (scl. ira.)

672: ‚*nefas Danais inausum*'. ep. XIV. 3. 15 (91): ‚nihil *inausum* esse *fortunae*'.

873: ‚optanda mors est *sine metu mortis mori*'. de benef. III. 30. 1: ‚cum tanto maius sit retinere spiritum, quam accipere, quanto leuius *mori ante mortis metum*'.

919: ‚quam quisque famulam traheret *incerto* diu *casu pependit*'. de ben. VI. 16. 4: ‚ille magis *pependit* quam medico necesse est'. ibd. II. 5. 3: ‚ita maior est muneris gratia quo minus *diu pependit*'.

1167: ‚*obduxit* statim — sanguinem tumulus'. dial. I. 3. 12: ‚male tractatum Socratem iudicas, quod illam *potionem — obduxit*?'

1173: ‚ubi hanc senilis *exspuam leti moram*'. cf. ad. Phoen. 44.

Medea.

40: ‚*Per uiscera ipsa quaere supplicio uiam*'. Infra u. 594: ‚Haud timet mortem: *cupit ire in ipsos obuius enses*' (scl. ignis irae). dial. III. de ira 1. 1. 1: ‚(irae adfectus) dum alteri noceat, si negligens, *in ipsa irruens tela*', ibd. 3. 2. 6: ‚gaudent feriri et instare ferro et tela corpore urgere et *per suum uolnus exire*'.

125: ‚*In* hanc *ferrum exigatur*'. dial. VI. 16. 5: ‚*tela* quae *in* Scipiones, Scipionumque patres *exegit*'.

163: ‚*qui nil potest sperare, desperet nihil*'. ep. I. 5. 7: ‚*desines*, inquit, *timere, si sperare desieris*'.

252: ‚non *esse me qui* sceptra uiolenter geram'. de ben. VII. 24. 1: ‚at multum erat *eum fuisse a quo* Socrates acciperet'. nat. q. VII. 2. 3: ‚fuerunt enim qui dicerent *nos esse quos* rerum natura — ferat'.

508: ‚*Abdico, eiuro, abnuo*'. (scl. *natos*. Bothius edidit: ‚*abiuro*', sed codices, de quibus constat et editiones ‚*eiuro*'.) Verbum eiurandi hac notione, ut abdicare, deserere, non agnoscere significet, Senecae amatum est. dial. VI. 19. 2: ‚ut quidam odia filiorum simulent, et *liberos eiurent*'. de ben. VI. 4. 2: ‚quid? non tam duri quidam et tam scelerati patres sunt, ut illos auersari et *eiurare* ius fasque sit?' dial. VII. 26. 5: ‚lacessere uirtutem *bonae spei eiuratio* est'.

966: ‚*adproba* populo *manum*'. ep XVI. 4. 18. (99): ‚Stultius uero nihil est, quam famam captare tristitiae et *lacrimas adprobare*'.

1004: ‚*moramque saltem — dona*' i. e. remitte moram, celeriter rem perfice, nam ‚acerbissima crudelitas est quae *trahit poenam*: et misericordiae genus est *cito perire*', ut ait de ben. II. 5. 3. Eadem uerbi donandi notio quaest. nat. II. 59. 13: ‚casus iste *donat metum*'. —

— In relicuis tribus, quas non a Seneca profectas esse probabile est, tragoediis tam multa id generis non inueni, nec ita conparata, ut non possint imitatorum studiis tribui. Ne uero quid consulto in opinionis meae gratiam omisisse uidear, ea quoque in medio ponam.

Oedipus.

17: ‚*maius indicunt scelus*'. dial. V. de ira 3. 3. 5: ‚qui illi (scl. irae) *indicat operas*'. ben. II. 17. 2: ‚*indixisti* pecuniae *odium*'. ep. VI. 3. 1. (55): ‚debilitatem nobis *indixere* deliciae'. ep. V. 11. 2. (51): ‚ulli loco *indicendum* est odium?'

63: ‚*exsequiae* cadunt' i. e. homines qui exsequias curant. 70: ‚morbus *auxilium* trahit' i. e. eos qui auxilium ferunt. Similiter ep. VIII. 1. 10. (70): ‚cum aeger a senatu ‚in lectica relatus esset' non sane frequentibus *exsequiis*', i. e. hominibus qui eum tamquam in exequiis comitabantur.

330: ‚sunt dira, sed *in alto* (i. e. in obscuro), mala'. ep. XI. 1. 6. (80): ‚nulla sollicitudo *in alto* est'.

700: ‚quisquis in culpa fuit, *dimissus odit omne*'. dial. IV. de ira 2. 33. 1: ‚hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: *quos laeserunt, et oderunt*'.

817: ‚Memoria longo lassa sublabens *situ*' i. e. obliuione. ep. VI. 6. 5. (58): ‚quantum apud Ennium et Accium uerborum *situs* occupauerit'. (Cf. Prop. 1. 7. 8. Stat. Theb. 3. 100.)

787: ‚*animam senilem* mollis exsoluit sopor'. ep. IV. 1. 14 (30): ‚non dubitare autem se quin *senilis anima* — distraheretur a corpore'.

986: ‚*omnia recto* (Flor. ‚secto', fort: ‚certo?') *tramite uadunt*'. dial. I. 5. 6: ‚*omnia certa* et in aeterum dicta *lege decurrere*'.

Agamemno.

88: ‚*sidunt* ipso pondere magno' i. e. corruunt. dial. II. 2. 2: ‚uitia ciuitatis — sua mole *sidentis*'. (cf. Plin. 15. 18. 20 [78 ed. Ian.]: ‚*sidentia* imperi fundamenta'. Tac. hist. 2. 15: ‚*sidente* paulatim metu'.)

93: ‚turris pluuio *uapulat* Austro.' nat. q. VI. 7. 6: ‚nam apud nos quoque multa quae procul a mari fuerant, subito eius accessu *uapulauerunt*'.

517: ‚*perdenda* mors est'. cf. ad Thy. 1098.

589: ‚cum pateat *malis Effugium* et *miseros libera mors* uocet, *Portus* aeterna placidus quiete'. ep. VIII. 1. 40 (70): ‚hoc qui dicit, non uidet *se libertatis uiam cludere*'. Cum portu conparat Seneca mortem dial. VI. 9. 7: ‚in hoc tam procelloso — mari nauigantibus *nullus portus nisi mortis est*'.

607: ‚*o quam miserum est, nescire mori*'. dial. IX. 11. 4: ‚male uiuet, quisquis *nesciet bene mori*'.

667: ‚non quae uerno *mobile* carmen Ramo cantat, tristis *aedon*.' ep. IX. 5. 9. (76): ‚habet uocem, sed quanto — dulciorem *mobilioremque lusciniae*?'

951: ‚sed agere domita feminam disces *malo*' i. e. poena. dial. III. de ira 1. 19. 6: ‚idem delictum in duobus non eodem *malo* adficiet'. de ben. VI. 37. 3: ‚quia satius erat duos iniquo *malo* adfici'.

Hercules alter.

110: ‚Nec *pompae* ueniet nobile *ferculum*'. dial. VII. 25. 4: ‚in alienum inponas *ferculum*, exornaturus uictoris superbi ac feri *pompam*'.

248: ‚*In uoltus dolor processit* omnis'. dial. III. de ira 1. 1. 5: ‚ira se profert et *in faciem exit*'.

343: ‚Alcidae toros *Moritura* certe *corpore amplectar meos*'. dial. IV. de ira 2. 36. 6: ‚transfoderuut itaque amata corpora et *in eorum quos occiderunt, iacuere complexibus*'.

444: ‚Contemsit omnes ille qui mortem prius'. ep. I. 4. 8: ‚quisquis uitam suam contemsit, tuae dominus est'.

900: ‚*Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat*'. dial. III. de ira I. 14. 3: ‚*nemo*, inquam, inuenietur, *qui se possit absoluere*'.

1121: ‚*fractis ut pateat polis*'. nat. q. VI. 32. 4: ‚*frangatur licet coelum*'.

1675: ‚*introrsus dolor — abeat*'. dial. XI. 5. 5: ‚proice omnem ex toto *dolorem*: si minus, *introrsus abde* et contine, ne adpareat'.

1744: ‚*gerit aliquid ardens*'. Hoc Stoicorum redolet doctrinam. ep. I. 8. 1: ‚ubi illa praecepta uestra, quae imperant *in actu mori*?'

1982: ‚*mundus aeternus*'. dial. VI. 25. 3: ‚in *aeterna rerum* per libera et uasta spatia dimissos'. —

Talia uero ab imitatorum studiis repeti posse, luculento ut ostendam exemplo, ex

Octauia

quoque non nulla proferam ad hoc genus pertinentia.

233: ‚Regit Bootes ‚*frigido Arctoo* rigens'. Frigidum substantiue posuit Seneca nat. q. VI. 13. 2: ‚*Frigidum* et calidum semper in contraria abeunt, una esse non possunt. eo *frigidum* confluit, unde uis calida discessit, et inuicem ibi calidum est, unde *frigus* expulsum est'.

352: ‚Mansit tacitis *in pectoribus* spreta tristi iam morte *fides*'. dial. XII. 19. 1: ‚Maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam, illud *fidelissimum tibi pectus*'.

387: O quam iuuabat *quo nihil maius* parens
Natura genuit, operis immensi artifex,
Coelum intueri.
dial. XII. 8. 4: ‚*Mundus* hic, *quo nihil neque maius* neque ornatius rerum *natura genuit*'.

439: ‚*Perage imperata*'. de ben. III. 25. 1. ‚nihilque se deprecari, quo minus *imperata peragerent,* dixit'.

553: ‚*omnes in unam contulit laudes deus*'. dial. IX. 11. 11: ‚*in quem, quicquid congeri poterat, di hominesque contulerant*'.

576: Nero: ‚Prohibebor unus facere, quod cunctis licet.'
Sen.: ‚Maiora populus semper a summo exigit'.
dial. XI. 2: ‚Caesari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent'.

Etiam ex Senecae tragoediis multa in usum suum conuertit Octauiae auctor, ueluti haece:

1: ‚*Iam uaga caelo sidera* fulgens Aurora fugat'. Herc. 125: ‚*Iam rara micant sidera* prono languida *mundo.*'

143: ‚Regni cupido, *sanguinis diri* sitis'.

Oed. 146: ‚Hic ille *dirus* callidi monstri *cinis,*
In nos rebellat'.

218: ‚Tu quoque terris altera Iuno *soror Augusti coniuxque* graues uince dolores'. Infra 660: ‚*Soror* Augusti, *non uxor* ero. Herc. 1: ‚*Soror* tonantis (*hoc enim solum* mihi *nomen* relictum est') e. q. s.

557: ‚Calcat *iacentem* uolgus'. Thy. 197 ‚numquid abiectus *iacet?*'

728: ‚*Diducta* subito — *tellus*'. Herc. 281: ‚*orbe diducto* redi'.

788: ‚Quis iste mentes agitat *attonitus furor?*' Herc. 1219: ‚Nondum *tumultu* pectus *attonito* caret'.

797: ‚Quaecumque *claro marmore* effigies stetit.' Phaed. 797: ‚Lucebit Pario *marmore clarius*'.

GVSTAVI RICHTERI VITA.

Natus sum Numburgi Thuringorum a. d. III Kal. Iulias anni MDCCCXXXVIII patre Carolo, matre Aemilia de gente Preusser, quos praematuro fato mihi ereptos uehementer doleo. Fidei addictus sum euangelicae. Artibus liberalibus instructus per decennium in schola patria cathedrali etiam nunc florente directore *Carolo Foertsch* uiro et doctissimo et humanissimo, adii ineunte anno LVIII academiam Ienensem, studiis operam daturus philologicis. Ibi cum per annum interfuissem scholis *C. Fischeri, Goettlingi, M. Schmidti, Schleicheri, Droyseni*, cuius sodalis fui societatis historicae, ciuibus adscriptus sum academicis uniuersitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae. Hic aures praebui per triennium docentibus *Brandisio, Dahlmanno, Diezio, Iahnio, Langio, Loebellio, Monnardo, Reifferscheidio, Ritschelio, Schopeno, Welckero.* Seminari philologici *Iahnio Ritschelioque* moderantibus sodalis fui ordinarius per VI menses, historici *Loebelli* per idem tempus, per annum archaeologici *Iahni*, antea cum et archaeologicis exercitationibus et historicis per tria interfuissem semestria. Praeterea eximia *Friderici Ritscheli* erga me uoluntate factum est, ut per ter sex menses bibliothecae regiae amanuensis, dein per annum adsistensis munere publico fungerer. Denique omnibus praeceptoribus optime de me meritis gratias ago quam maximas, inprimis autem *Ritschelio, Iahnio, Loebellio*, quorum quantum debeam humanitati et beniuolentiae non possum satis contestari. —

SENTENTIÆ CONTROVERSÆ.

1.) Post u. 82 secundi Iliadis libri non nullos intercidisse puto uersus; u. 83 interpolatus uidetur.

2.) In Aeschyli Agam. u. 354 (Hermann.) librorum scripturam ‚ὡς ἔπραξεν ὡς ἔκρανεν' sic emendandam censeo: ‚ἔπραξαν ὡς ἔκρινεν'.

3.) Verba Senecae epist. I. 8. 4 (ed. Haas.): ‚deinde ne resistere quidem licet, cum coepit transuersos agere felicitas: [*aut saltim rectis, aut semel fruere.*]' sic emendo: ‚deinde n. r. q. l., c. c. t. agere felicitas: aut *statim resistite,* aut semel (i. e. penitus) *ruetis*'.

4.) Senecae tragoediarum codicem Florentinum ceterorum, qui hucusque adhibiti sunt, librorum fontem esse nego.

5.) In Senecae Phaedra u. 1122. 1123 necessario ponendi sunt post u. 1118; u. 1119 interpolatus est.

6.) In Octauia praetexta duo statuendi sunt chori.

7.) Quae de primo bello Samnitico Liuius narrat, maximam partem ficticia sunt.

8.) Thucydides non sine ira et studio Cleonis mores descripsisse iudicandus est.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 688 8

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 688 8